

heretiam eccliam de Astericarum montanis extirpare confidimus. Non me latet Heterium prout juvenem, deceptum fuisse a Beato, homine silvestri et vanoque: quem, si tibi nostra placent, protinus ad te advoca, quantumque coram Deo, ejusque Ecclesia et nobis erraverit, indica: et si in obstinatæ propositionis thecæ perstiterit, nostra et totius Ecclesiæ correctione contunde. 1

5. Beato, post aliquantulum, visitationis a Adosindæ gratia perveniente, Fidelis abbas Elipandi epistolam demonstravit eidem; qui prout catholicum virum et fidei defensorem decebat, ascito Heterio opus integrum duobus libris compactum, qui Elipandi errores solidis sacræ Scripturæ locis rationibusque validis confutabat, scripsit. Cujus cum in manus Elipandi et aliorum sequacium pervenisset, illud infestissimis sunt dedecorum ulceribus verbo et paginis insecuti, inter quæ Antiphrasi nomine macularunt. At Deus, cui omnium viscerum arcana patecunt, Beati innocentie spiritum a solio majestatis suæ contuens, et purum fidei zelum presbyteri ab alto longe cognoscens, ab omnibus illum suorum inimicorum periculis liberavit.

6. Nam Elipandus Toletus profectus, Astures et Gallæcos obivit, iisque in locis multos prava opinione infecit pestifero oris afflatu. Felix Vaccæos in Hispania, Septimianos in Gallia, aliosque in Germania inficere satagens, ab omnibus fuit constanti defensione depulsus. Sic enim apud ^b Reginum Bajoariæ civitatem primo in conventu episcoporum damnatus, post coram Adriano pontifice maximo simulato animo resipiscens, demum apud Francofurtum, ubi præsentate Carolo Francorum rege concilium fuerat indictum, cui Roma Theophylactus et Stephanus epi-

^a Adosinda erat Aldefonsi regis filia, nupta Siloni, cujus regnum Mauregatus, Aldefonsi ex concubina itidem filius, invasit anno 785. Adosindam se invisisse cum Heterio tradit Beatus ipse initio libri 1 contra Elipandum: « Cumque nos ad fratrem Fidelem, non litterarum illarum compulsio, sed recens religiosæ dominæ Adosindæ perduceret devotio, audivimus illum libellum (Elipandi) adversum nos et fidem nostram in cuncta Asturia publice divulgatum. Et cum fides nostra esset indissoluta, cepit inter scopulos fluctuare navicula, et duæ factæ erant.

A copl, ex Hispania beatus et Heterius pro catholicis missi, interfuere legati, error cum auctoribus a congregatione concilii damnatus est, quod et Adrianus pontifex fecit.

7. Hoc siquidem intellecto Elipandus Toletanus a propositione resilire decernens, episcoporum congregationem apud Toletum indixit, qua poenitens confessionis libellum, ubi Filium Dei unigenitum Patrique consubstantialem, non adoptivum, sed naturalem, humili confessione professus, obtulit. A Patribus lacrymarum professione susceptus, reconciliationis beneficium accepit. Hic beatum et Heterium, deposita antiquæ disceptationis malevolentia, benigne suscipiens, illos fidei defensores et catholicæ veritatis patronos, non absque lacrymis et singultibus, compellabat.

8. Concilio denique soluto et rebus fidei in Hispania bene compositis, sedatoque Felicianæ pravitatis jurgio, sanctus vir Beatus Adosindæ regis Silonis uxori, quæ propter Mauregati tyrannidem sacram erat vestem induta, contindus pro animæ suæ remedio existit pædagogus: donec apud Vallemcavam secederet, orationibus, jejuniis et sacræ Scripturæ studio insistens, super Apocalypsis mysteria librum miræ ordine scriptavit: demum miraculis celebris, Domino, cui servierat, spiritum placida dormitione commendavit xi Kal. Martii, anno Domini 798. Ejus corpus ibidem sepultum jacuit per tres annos, donec ad honoratiorem locum translatum, reservato brachio pro ægrotorum ad ejus sarcophagum advenientium juvamine, theca marmorea inclusam, debito honoris munere custoditur: prout illud et sanctorum suorum ossa custodire promisit Deus, qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Postea cum tranquillitate, ne bipertita, sed tantum videretur una; tunc colloquentes ad invicem (Beatus scilicet et Heterius) diximus, etc. » Hinc arrepta occasio mutuo consensu scribendi unum idemque opus in Elipandum. De Adosinda item infra, num. 8.

^b « Ductus, inquit Eginhardus, ad palatium regis, qui tunc apud Reginum Bajoariæ civitatem (ahî *Ratisponam* vocant) residebat, ubi congregato episcoporum concilio auditus est, et errasse convictus, ad præsentiam Adriani pontificis Romam missus, etc. »

HETERII ET SANCTI BEATI AD ELIPANDUM EPISTOLA.

[Ex Galland. Biblioth. vet. Patrum.]

LIBER PRIMUS.

Eminentissimo nobis et Deo amabili Elipando Toletanæ sedis archiepiscopo, Heterius et Beatus in Domino salutem.

I. Legimus litteras prudentiæ tuæ anno præsentis, et non nobis, sed Fidei abbati mense Octobri in

æra 825 clam sub sigillo directas : quas ex relatu A advenisse audivimus, sed eas usque sexto Kalendas Decembres minime vidimus. Cumque nos ad fratrem Fidelem, non litterarum illarum compulsio, sed recens religiosæ dominæ b Adosindæ perduceret devotio, audivimus ipsum libellum adversum nos et fidem nostram cuncta Asturia publice divulgatum. Et cum fides nostra una esset indissoluta, cœpit inter scopulos fluctuare navicula ; et dux factæ erant. Postea cum tranquillitate, non bipertita, sed tantum videretur una, tunc colloquentes ab invicem diximus : Dormit Jesus in navi, et hinc inde fluctibus quatimur, et tempestatum molestias sustinemus, quia importabilis excitatus est ventus : nulla salus in nobis esse videtur, nisi Jesus excitetur : et corde et voce clamandum est, ut ei dicamus : *Domine, salva nos, perimus. Tunc surrexit Jesus*, qui in nostra dormiebat navi, qui cum Petro eramus. Tunc *imperavit vento et mari, et facta est tranquillitas magna*. Ex tunc, Deo miserante, non turbatur ista, quæ Petrum habet ; sed turbatur illa, quæ Judam habet, Quomodo enim turbari poterat, cui præerat ipse in quo Ecclesiæ firmamentum est ?

II. Plerique tamen ex nostris, etiam remigatores fortissimi, nimis formidabant, quia longius a terra, id est a corpore Christi, in alto pelago navicula fluctuabat ; quia dixerat Dominus Petro : *Duc in altum retia*, hoc est, in profundum disputationum, et peiagus Scripturarum. Quid enim tam altum quam altitudinem divitiarum videre ? Quid etiam tam profundum, quam c scire Dei Filium, et divinæ generationis professionem assumere ? Quia licet humana mens non possit plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet nobis scire quomodo natus est Dei Filius, scire tamen nobis licet et credere quod vere natus sit. Fortes estote, non formidetis : nobiscum est ille pro quo hæc intentio vertitur. *Ecce ego*, inquit, *robiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Neque enim nobis tam dura intentio esset, nisi Virgo peperisset, et quia Virgo peperit, intentio est : et quia Virgo peperit Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus, ipsum credimus et adoramus, quia nullus alter Deus est. Denique in persecutione quid queritur, nisi ut Deum Christum negemus ? Itaque, qui non constitetur Christum Deum verum, Mariæ Virginis filium, natum ex Deo vero, veniam non merebitur. *Sed et quicumque spiritus non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, et ipse est Antichristus*. Qui enim hominem negaverit, Deum negavit : quia Deus homo est, et homo Deus est, et Deus et homo unigenitus Christus Filius Dei est. Petrus enim, qui hanc naviculam reget, hominem negavit. Sic enim ait : *Non novi hominem*. Non enim dixit : Non novi Deum, aut Filium Dei ; sed cum hominem negavit, Filium Dei Deum negavit.

a Anno 785, nam isti auctores sequuntur æram Hispanicam quæ triginta octo annis differt a Christi.iii.

Et cum ab homine interrogaretur : *Quem me dicunt filium hominis ?* tunc homo homini respondit, et ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ipsum Christum Filium Dei vivi negavit, cum dixit : *Non novi hominem*.

III. Sed ubi negavit, Christus ligatus tenebatur : ante præsidem stabat, alapis et colaphis cædebatur, conspuebatur. Nox erat, tenebræ erant, frigus erat ; in prætorio erat, ancilla ostiaria ostium clausum tenebat. Adhuc Spiritus sanctus plenius Petro non fuerat *datus, quia adhuc Jesus non fuerat glorificatus*. Ubi vero confessus est Christum Filium Dei, non erat ligatus Jesus, néque solus : sed multitudo sequebatur eum, quorum mortuos suscitabat, cæcos illuminabat, leprosos mundabat, dæmones effugabat, et diversas infirmitates curabat. Querit ab hominibus quis habeatur in populis egregius ille ? Cum illi diversas opiniones proferrent, et alii dicerent : Tu es Elias ; alii, Jeremias ; alii, Tu es Joannes Baptista ; alii, Tu es Propheta ; tunc Petrus inter omnes, sine aliqua dubitatione, dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Exclamat Dominus beatum cui non caro istud et sanguis revelasset, sed Pater ejus qui esset in cœlis. Tunc et petra vocatus, postquam angularem petram illum primus agnovit. Hæc est petra de qua Pater dixerat per Isaiam prophetam : *Ecce, mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, electum, angularem, pretiosum ; et omnis qui crediderit in eo, non confundetur* (Isa. xxviii, 16). Et utique in lapidem, in quem credere mandat, Deus est. De qua petra Paulus apostolus dixit : *Petra autem erat Christus* (I Cor. x, 4). Et quia [*Fortè, quidem*] omnes sancti qui in Christo fundati sunt, lapides et petræ scribuntur : sed cum in sacro eloquio singulari numero petra vel lapis nominatur, solus Christus accipitur. Cum vero petræ pluraliter appellantur, membra videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt, experiuntur [expriuntur]. Quos nimirum Petrus apostolus lapides vocat, dicens : *Vos tanquam lapides vivi cœdificamini domus spiritualis* (II Petr. ii, 5). Qui omnes non a Petro, sed a Christo petra, sicut et Petrus, nomen acceperunt ; et quod Petro dixit : *Super hanc petram cœdificabo Ecclesiam meam* (Matth. xvi, 18), non soli Petro, sed nobis omnibus dixit. *Non revelavit tibi istud caro et sanguis, sed Pater meus, qui in cœlis est* (Ibid., vers. 17), non solum Petro, sed et nobis, qui sic credimus ut Petrus et hodie dicit. Nam cum nos hodie dicimus corde, et ore coram omni Ecclesia, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, protinus ille respondet : *Non revelavit vobis istud caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est : hoc Veritas dixit uni, quod omnibus sufficit*. Hoc nos omnes credimus, sed ille solus confessus est.

IV. Cui caro et sanguis revelavit, dicat : Tu es adoptivus humanitate, et Filius Dei vivi secundum

b Fuit illa regis Silonis vidua.

c Cognoscere Dei Filium, et illum profiteri, alterum enim ex altero sequi. Srevv.

divinitatem, non enim Petro caro et sanguis revelaverat hoc quod dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Cujus caro et sanguis? Nunquidnam Petri, ut ipsius caro obstaret et sanguis ut Christus Dei Filius diceretur? Non plane, sed ipsius Domini caro et sanguis. In qua carne et sanguine, dum homo videtur, quod assumpserat Deus, non credebatur esse quod erat. Impossibile enim omnibus videbatur ut Deum crederent quem hominem viderent. Et tantam illam majestatem, in qua *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quam ipse non capit mundus, in corpore despectæ etiam imaginis inclusam ait: Non hæc caro mea et sanguis tibi esse n'e Dei Filium revelaverunt, quia ista me [*Forse, mea*], id est, caro mea, et sanguis non promittunt Dei Filium credi. Denique et propheta jam dixerat: *Et homo est, et quis agnoscit eum (Isa. LIII, 3)*? Aperte ergo illi secundum oculum judicantes, me aut Eliam aut prophetam, aut unum aliquem de prophetis loquuntur, quia me hominem omni habitu carnis agnoscunt. Sed *tibi revelavit Pater meus qui in cælis est*.

V. Quando revelavit? Quo tempore Deus cum Petro locutus est? *Revelavit tibi, inquit, Pater meus qui in cælis est*. Ac si aperte diceret: Operibus credidisti, quæ me loquuntur Filium Dei. Vidisti me mortuos suscitare, cæcos illuminare, surdos facere audire et mutos loqui, super aquas siccio vestigio ambulare, ventis imperare, infirmos verbo sanare. His operibus credidisti, quæ me loquuntur Filium Dei. Nam et illi me ista facere viderunt, qui me unum ex prophetis nuncupaverunt: quia omnes mendacium dixerunt, quia de suo dixerunt, non de Patre revelatum habuerunt. Qui enim *de suo loquitur, mendacium loquitur*: quia qualem me videt, talem me putat esse. Qui enim de Patre audit, veritatem dicit, quia de veritate haurit, et de veritate certificat.

VI. Quid est veritas? *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ipse enim Christus hoc dixit: *Ego sum via, veritas et vita*. Non enim nos interfuimus, cum a Patre Dei Filius diceretur. Solus Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite omnis anima*. Nam cum *omnis anima* dixit, nobis omnibus dixit. Omnis enim anima omnis homo dicitur, sicut est illud in Genesi: *Septuaginta animæ ingressæ sunt in Ægyptum cum Jacob*. Per tot homines Pater clamat de cælo nobis in terra hominibus, ut Filium suum audiamus. Credamus ei, et prædicemus eum coram hominibus, proprium esse Filium Dei. Quid primo dubitamus? Si Deo non credimus, cui credimus? omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus aliquando fallitur, auditus tamen in fide est. Fuerunt tunc qui Christum viderunt, et crediderunt; fuerunt qui viderunt, et non crediderunt. Sunt nunc qui Evangelium audiunt, et Christum coram hominibus Dei Filium crucifixum confitentur; et sunt, qui eum Dei Filium coram omnibus non esse contendunt. Intonant prophætæ, Evangelium clamat, et idem Filius per Evangelium suum dicit: *Pater; clarifica Filium tuum, ut Filius tuus*

clarificet te. Pater ei dicit: *Clarificavi, et iterum clarificabo*. Pater veritas, quia testificatur veritatem; clamat veritati, de quo est ipse veritas. Respondit veritati, qui in hunc mundum non sibi, sed nobis misit hanc veritatem. Venit veritas ad mendaces: et putamus quod eam possumus facere, non credendo, mendacem?

VII. Veritas dicit per os carnis suæ: *Filius Dei sum*. Et, *qui negat me, negat eum qui me misit*. Et præsumet aliquis hoc Evangelium dissolvere? An ex parte oportet credere Evangelio, et ex parte non credere? Qui non credit Evangelio, non credit Filio, cujus est Evangelium. Et qui non credit Filio, non credit Patri, qui misit illum. Neque enim regem diligimus, si ejus leges odio habemus. Qui Patri et Filio ista dicenti non credit, mendax est, quia Deum putat esse mentitum. Si viri boni dicerent, nefas putarimus esse non credere. Deus asserit, probat Filius, tremens terra testatur: inferna captivos absolvunt, maria obediunt, elementa serviunt, petræ scinduntur, sol obscuratur, et hæreticus, cum esset rationalis, filium Virginis non esse Dei Filium causatur?

VIII. Quis est Dei Filius, nisi Jesus, quem virgo peperit Maria? Ipsum nobis promisit per Prophetam Pater, dicens: *Revelabitur enim vobis Filius meus Jesus (Luc. 1, 31)*. Hoc nomen et angelus Virgini nuntiavit: *Vocabis, inquit, nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur*. Potuerat dicere tunc, si verum esset quod dicitis: Vocetur Jesus adoptivus filius Altissimi humanitate, et nequam adoptivus divinitate. Potuerat et filius dicere: *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum adoptivum daret in mundo, ut omnis qui crediderit in eum, non pereat*. Et utique missio ejus homo est: et nihil aliud potuerunt in eo videre increduli qui eum crucifixerunt nisi tantum hominem. Et cum hominem crucifixerunt, Filium Dei crucifixerunt, Deum crucifixerunt. Pro me passus est Deus meus, pro me crucifixus est Deus meus. Et quid dico pro me? Pro omnibus passus est Deus noster. Dicamus ergo: *Surge, Deus, judica terram*. Cui Deo dicitur, *surge*, nisi ei qui mortuus est? Cui Deo dicitur: *Judica terram*, nisi ei qui a Judæis judicatus est? *Surge, Deus, judica terram*, qui judicatus es a terra. Unde et in psalmo LXXXI dicitur: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit*. Et utique qui deos discernit, Deus est. Et non est Deus inter deos, ut hæretici asserunt, sed Deus deorum est. Ille qui dixit: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi*, ipse est Deus excelsus filius Virginis, de quo Propheta jam dixerat: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua veniet, et nullus ei similis. Qui poterit scrutari vias ejus (Isa. XL, 10)*? cuncta considerans: et nomen ejus supra terminos terræ. Ipse est Dominus dominorum, qui est Deus deorum. Et sicut non de diis multis est, ita neque de dominis multis, sed unus Dominus Deus, Apostolo attestante, qui ait: *Nullus Deus, nisi unus. Nam si sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi: nobis autem*

unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos per illum : et A
unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos
per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Ipse est
Christus christorum, qui Dominus dominorum, et
Deus deorum.

IX. Sed non est de illis christis, de quibus dictum
est : Nolite tangere christos meos (Psal. civ, 15). Sed
neque de illis, de quibus hæretici dicunt : Et ille
Christus, et nos christi. Et quanquam et sancti
christi sint, et domini sint, et dii sint : sed nullus
ex illis absolute dicitur uno sermone Christus Jesus
Deus noster. Nullus ex illis dictus est, *Christus Dei
virtus et Dei sapientia*. Nullus ex illis mortuus est
pro mundo. Solus iste. Nullus ex illis propria volun-
tate mortuus, aut quando voluisset, posuisset animam ;
aut quando voluisset, resumeret ; sed solus iste. Sic
enim ait Judæis : *Solvite templum hoc, et triduo sus-
citabo illud*. Non dixit . Solvite templum hoc, quem
Pater suscitavit, sed, Ego suscitabo illud. Et in psalmo
tertio ait : *Ego dormivi et exurrexi*. Hoc totum li-
bera Christi potestas, ejus, qui potestate sua mortuus
est, potestate sua resurrexit. Et qui potestatem ha-
bet, Deus est ; et non quislibet Deus, sed omnipotens,
quia omnia potest. Et nullus potest facere quod fecit
et facit omnipotens Deus. Nam quia et Pater eum
suscitavit, dicit in eodem psalmo : *Dominus suscitavit
me*. Dominum dicit, quem Patrem habet. Nam si
eum Patrem non haberet, Petrus apostolus de eo
non diceret Judæis : *Dominus Deus patrum nostrorum
suscitavit Filium suum Jesum, quem vos inter-
emistis*. Servus dictus est Patris, quia semetipsam
exinanivit, id est, semetipsum mundo visibilem
ostendit. Quia *formam servi accipiens*, inquit Aposto-
lus, *in similitudinem hominum factus est, habitu in-
ventus ut homo*. Et ideo Patris est servus, qui cum
Patre est unus Dominus, et unus Deus. Veruntamen
ipse sibi nec dominus, nec servus est. Solius Patris
est servus, quia facit voluntatem Patris, ut ipso de
semetipso ait : *Non veni voluntatem meam facere, sed
voluntatem ejus qui misit me, Patris*. Non hoc loco
dixit voluntatem Dei facere, sed Patris. Quamvis
enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit etiam
ipsa natura et de illius essentia, tamen nullatenus
ignoramus quod manens homo quoque factus sit,
qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis
existeret. Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit
esse, vel Dominus ? Ergo solius Patris est servus,
non sibi servus, non suus servus. Non sibi dominus,
non suus dominus. Sicut solus Patris est Filius, non
suus filius, non sibi filius, sicut ipso major et minor.
Et ideo in quo major sibi ipsi, æqualis est Patri ; in
quo minor sibi ipsi, minor est Patre ; in quo minor
Patri, Dominus omni creaturæ ; in quo servus Patri,
dominus cœli et terræ, id est angelorum et hominum,
Paulo apostolo attestante, qui ait : *Humillavit semet-
ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Pro-
pter quod et Deus Pater exaltavit illum, et donavit
illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine
Jesu, filii Mariæ Virginis, omne genu flectatur cœle-*

stium, et terrestrium, et infernarum : et omnis lingua
constentur quia Jesus in gloria est Dei Patris.

X. Nulli enim angelorum dixit Pater : *Filius meus
es tu, ego hodie genui te. Pete a me, et dabo tibi gen-
tes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos
terrae. Reges eos in virga ferreo, et tanquam vas figuli
confringes eos. Ad angelos quidem dicit : Adorent il-
lum omnes angeli Dei. Ad Filium autem dicit : Thro-
nus tuus Deus in sæculum sæculi : virga æquitalis,
virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquita-
tam, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ
præ consortibus tuis. Et, Tu, Domine, initio fundasti
terram ; et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi per-
ibunt, tu autem permanes : et omnia sicut vestimen-
tum veterascent, et sicut opertorium mutabis ea, et
mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non
deficient. Filii servorum tuorum inhabitabunt, et semen
eorum in sæculum sæculi dirigitur. Hoc Ecclesia de
Christo dicit. Et quia in hoc mundo minoratus venit
paulo minus ab angelis, et non solum angelis, sed
etiam hominibus, quia minor erat parentibus suis, et
[Forte, sed] ante passionem, ante mortem, ante re-
surrectionem. Nam posteaquam resurrexit a mortuis,
dixit discipulis suis : *Data est mihi potestas omnis in
cœlo et in terra. Sicut me misit Pater, et ego mitto
vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Acci-
pite Spiritum sanctum : quorum remisistis peccata,
remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt*.
Et quia Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit,
ipsa Spiritum sanctum insufflans apostolis, ut mani-
festius ostenderetur quod præset [Forte, quod ipse
esset] Filius Dei, a quo procedit Spiritus sanctus, et
ipsa est tertia in Trinitate persona : qui donum Pa-
tris et Filii dicitur ; quem tunc dedit, et postea de
cœlo misit, ut ostenderet dilectionem Dei et proximi
secundum illa præcepta, in quibus tota lex pendet, et
propheta.*

XI. Semel in terra dedit Spiritum sanctum propter
dilectionem proximi, et secundo dedit de cœlo pro-
pter dilectionem Dei. Nam cum insufflavit, et illi
accepissent Spiritum sanctum, dixit eis : *Ite, bap-
tizate omnes gentes, in nomine Patris, et Filii, et Spi-
ritus sancti (Matth. xxviii, 19)*. Ubi maxime com-
mendatur hæc Trinitas, dubitare non debemus. Ipse
est igitur Spiritus sanctus, qui etiam de cœlo datus
est die Pentecostes, post dies decem quando Dominus
ascendit in cœlum. Quomodo non est Jesus Christus
Deus Dei Filius, qui de Virgine natus est Deus ve-
rus, qui dat Spiritum sanctum ? Imo quantus Deus
est, qui dat Deum ! Neque enim aliquis discipulorum
ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut
veniret in eos quibus manus imponebant : non ipsi
eum dabant. Quam consuetudinem in episcopis etiam
nunc servat Ecclesia.

XII. Denique et Simon Magus, offerens apostolis
pecuniam, non ait : Dato et mihi hanc potestatem
ut dem Spiritum sanctum, sed, *cuicunque imponero
manus, accipiat Spiritum sanctum (Act. viii, 19)*.
Quia neque Scripura superius dixerat : Videns au-

tem Simon quod apostoli darent Spiritum sanctum, A sed dixerat: *Videns autem Simon quod per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus sanctus. Propter hoc Dominus ipse Jesus Spiritum sanctum non solum dedit ut Deus, sed et accepit ut homo. Propterea dictum est: Plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus apostolorum quia unxit eum Deus de Spiritu sancto.* Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando speret eum baptizatum ut columba descendit: tunc enim corpus suum, id est Ecclesiam suam, præfigurare dignatus est, in quo præcipue baptizati accipimus Spiritum sanctum; sed ista mystica et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura, sine ullis præcedentibus honorum operum meritis, Deo Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto et virgine Maria. Absurdissimum est enim ut credamus eum, cum jam trinita esset annorum ætatis, et a Joanne baptizatus est, accepisse Spiritum sanctum. Sed venit ad baptismum Joannis sicut sine peccato, ita plenus Spiritu sancto. Si enim de servo suo et præcursore ipsius Joanne scriptum est: *Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suæ,* quia quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit, quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit?

XIII. Hoc totum quare diximus, nisi ut Jesum Christum qui de Virgine natus est, verum Deum, et verum Filium Dei esse proprium firmaremus: et Deum inter deos, et adoptivum cum adoptivis, et parvulum cum parvulis, et servum cum servis, ut hæretici blasphemant, aperta fronte negaremus? Ululant ipsi, Scripturam non tractant. Et quia ululant, lupi sunt, in tenebris ambulant, id est, inter ignaros prædicant: obscuras et distortuosas disputationes profèrunt, quibus ignaros decipiunt. Pastores Ecclesiarum auferre conantur, ut oves Domini facilius strangulent. Videte, fratres, non credatis eis, expellite eos a vobis, et fugite eos, si oves estis, quia non habent voces pastoris. Bonus pastor noster nobis dixit: *Cavete a pseudoprophætiis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Nonne lupi sunt, qui vobis dicunt: Adoptivum credite Jesum Christum: et qui ita non crediderit, exterminetur? Et episcopus metropolitanus, et princeps terræ, pari certamine hæreticorum schismata, unus verbi gladio, alter virga regiminis ulciscens, de terra vestra funditus auferantur: certe jam rumor est, jam fama est, et non solum per Asturiam, sed per totam Hispaniam, et usque ad Franciam divulgatum est, quod duæ quæstiones in Asturiensi Ecclesia ortæ sunt. Et sicut duæ quæstiones, ita duo populi et duæ Ecclesiæ, una pars cum altera pro uno Christo contendunt. Cujus fides vera an

falsa sit, grandis inventio est: et hoc non in minuta plebe, sed inter episcopos est. Una pars episcoporum dicit quod Jesus Christus adoptivus est humanitate, et nequaquam adoptivus divinitate. Altera pars dicit: Nisi ex utraque natura unicus est Dei Patris Filius proprius, non adoptivus, in tantum proprius, ut ipse sit Dei Filius Deus verus; et ipse adoretur, et colatur, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Hæc pars nos sumus, id est Heterius et Beatus, cum cæteris ita credentibus. Credimus certe non solum in Deum Patrem omnipotentem, sed in Jesum Christum Filium ejus unicum Deum et Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine, passus sub Pontio Pilato.

XIV. Ecce utraque fides patet: sed nos pro hac fide quam vindicamus, non solum exilium, sed etiam mori parati sumus. Tempestat mare et fluctuat, sed navicula non mergitur, quia fides non dubitatur. Descendunt hæreticorum pluvix, flant persecutionum venti, adveniunt flumina, id est iniuriæ et terrores hæreticorum: sed domus a fundamento non dissolvitur, quæ diu supra firmissimam petram quadratis lapidibus artificis manu constructur. *Et licet angelus de cælo veniat, qui nobis vestram fidem peregrinam inserere disponat, anathema nobis maranatha reputabitur.* Et quia (ut diximus) jam venti et flumina inminent, ipsa domus radicibus subvertetur, quæ supra arenam fundata esse non dubitatur. Quid est arena, nisi hæreses? Et cum multi hæretici sint, multa etiam mendacia conflungunt, quia adversus catholicam fidem diversa sentiunt, et tamen inter se minime concordare possunt. Ecce campum Scripturarum, et unum Christum, et tamen inter utrasque partes divisum. Pars, quæ recte credit in Christo, sicut ipse ait: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et cum habuerit Christum, tunc habebit legem et Evangelium. Et pars quæ non habuerit Christum, non poterit illa aqua ex eo fluere, et in ea flumina non valebit derivare quæ Spiritus sanctus non dietaverit. Sed procul dubio illa aqua quæ apud Salomonem prava scientia nuncupatur, per mulierem, quæ typum hæreseos tenet, et callidis suasionibus blanditur, dicens: *Aquæ furtivæ dulciores sunt (Prov. ix, 17).* Et non philosophando scribamus obscuris sermonibus, sed simpliciter, ut omnes qui audierunt alterum interrogare non indigeant, sed omnes intelligant.

XV. Et quia pro fide recta est, non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est. *Hauriat unusquisque nostrum aquas de fontibus Salvatoris,* id est, de prophetarum et apostolorum doctrinis. Non sibi fodiat cisternas novas: de quibus Dominus per prophetam dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ: et effoderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non solent continere aquas: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris (Jer. ii, 13).* Cisternam novam fodisse, est nova verba de Christo conficere, quæ in lege et Evangelio scripta non sunt. De qua cisterna in Evangelio Dominus commemorat de villico iniquitatis, qui ait: *Fodere*

non valeo, mendicare erubescio (Luc. xvi, 5). Iste A villicus iniquitatis Saulus erat, qui postea Paulus apostolus factus est. Quando Saulus erat, elatus erat et superbus, et gloriabatur de lege et sapientia Scripturarum : et ad pedes Gamalielis, qui eo tempore peritissimus erat in lege, gloriabatur se litteras didicisse; et ob hoc persequabatur apostolos Christi, dicens nescire eos legem et rusticos esse. Quamobrem adhuc *suspirans minas et homicidia in discipulos Domini, accessit ad sacerdotem et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos inveniret qui essent de hac via viros ac mulieres, victos perduceret in Jerusalem* (Act. ix, 2). Qui cum cœpisset credentes in Christum persequi, ligare, occidere, et omnem Dei sui dissipare substantiam, correptus a Domino est. *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra simul calcitrare.* Dixitque in corde suo : Quid faciam, qui magister fui et villicus, cogor esse discipulus et operarius? *Fodere non valeo.* Quid dixit, *Fodere non valeo?* Ac si aperte diceret : non possum supra prophetare quam prophetatum est. Non possum novum dogma componere, quia ea quæ prophetæ dixerant jam omnia in Christo completa erant. Jam cessaverant *lex et prophetæ usque ad Joannem Baptistam.* Sed non erat Joannes prophetarum finis et legis, sed Christus, sicut ipse Apostolus ait : *Finis autem legis Christus, ad justitiam omni credenti.*

XVI. *Fodere, inquit, non valeo, mendicare erubescio.* Ac si diceret : Ut qui doctor fueram Judæorum, cogor ab apostolis rusticis et egentibus, et a discipulo Anania, salutis et fidei mendicare doctrinam ! Aperiamus oculos, et videamus Saulum lupum Ananiæ ovi submittere caput. Videamus eruditum in lege a rusticis accipere doctrinam salutis. Nihil sciebat Saulus in lege, quam de ierat Deus, qui Christum persequabatur, qui dederat ipsam legem. Omnem legem sciebant apostoli rustici, qui Christum Deum sciebant, qui compleverat jam legem quam dederat : quia nullus hominum potuerat adimplere legem, nisi solus Christus qui eam dederat, sicut ipse ait : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quod si quæsieris quare vocetur *villicus iniquitatis* in lege, quæ Dei est, dicamus : recte credebatur in Patrem, villicus erat ; Filium persequabatur, iniquus erat. Villicus autem dicitur propriæ villæ gubernator, unde et a villa villicus nomen accepit. Qui de Saulo elato et superbo factus est humilis Paulus, *vas electionis Christi, ad omne opus bonum paratus* : qui non esset discipulus, nisi discipulo rustico submitteret collum. Qui etiam non valuit cisternam fodere novam, id est, legem componere novam; sed illam quæ fodita erat, aperuit et in flumina derivavit, id est, illam legem quæ de Christo erat, aperuit et explanavit : et totum mundum in gentibus aridum satiavit, quando Christum illis Dei Filium cognoscere fecit.

XVII. Hæc exempla nos sequi oportet. Non constringamus de nostro, sed illa explanemus quæ in lege et Evangelio scripta sunt. Et quia Christus noster

et panis est in divinitate fortibus, et lac in humanitate parvulis, quid cui debeatur, aptam cibum ministrare utrorumque filiis non negemus, ut illud in nobis compleatur quod Dominus in Evangelio dicit : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Dispensator prudens, pastor Ecclesiæ, unicuique cibum suo tempore dat, cum verbum prædicationis sic dispensat singulis, ut libenter accipiens anima capere et portare possit quod dederit : ne (quod absit) mente parvulo dum panis durus in os, id est in locutione, quod est divinitas, mittitur, sine trituratione dentium, suffocetur. Lacte ergo alendi sunt, id est, credant eum esse Filium Dei proprium, non adoptivum : Deum verum, quem

B Judæi crucifixerunt. Ipse est verus Deus, et vita æterna, Joanne apostolo attestante, qui ait : *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Paulus apostolus ad Romanos ait : *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit : sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Item ibid. : *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et ipse Dominus in Evangelio cæco illuminato dixit : *Tu credis in Filium Dei?* Et dixit : *Quis est, Domine, ut credam in eum? Respondit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* Item in Evangelio secundum Joannem, quando Lazarum suscitaturus venit, dixit Martha ad Jesum : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Dixit illi Jesus : Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Dicit illi Jesus : Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, et si mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Et ait illi Martha : Utique, Domine. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.*

XVIII. Non debemus ergo dubitare de eo quem Judæi crucifixerunt, quod ipse sit verus Filius Dei proprius, non adoptivus : sed unicus Dei Patris Filius, Deus verus et vita æterna. Credamus in eum D tam parvuli quam senes, tam rustici quam sapientes, tam pauperes quam divites, tam viri quam femine : tam omnis omninoque sexus moriamur pro eo ut vivamus in eo. Adoremus eum sine dubitatione, quia non est alter Deus præter eum, propheta Jeremia testante, qui ait : *Hic Deus noster, et non est alius Deus præter eum : qui adinvenit omnem viam prudentiæ : et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch. iii, 36-38).

XIX. Non ergo separamus Patrem et Spiritum sanctum a Filio, cum solum Filium dicimus Deum. Pater et Filius ambo simul unus Deus. Non Pater ambo simul sunt, non Filius ambo simul sunt. Solus

in illa summa Trinitate Pater tantum Pater est in sua persona, solus Filius in sua persona tantum Filius est, solus in sua persona Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Et ideo nec Patrem Filium nominamus, nec Patris nomen Filio imponimus, nec Spiritui sancto nomen Patris aut Filii dicimus. Et inde vere Trinitas est, quia nec Pater natus est, nec Spiritus sanctus, sed solus Filius. Nec Filius genuit, nec Spiritus sanctus, sed solus Pater. Neque Pater a duobus processit, aut Filius, sed tantum Spiritus sanctus. Ac per hoc solus Pater Deus a nullo Deo est, sed a se. Filius Deus est, sicut Pater, sed a Patre est Deus, non a se. Spiritus quoque sanctus Deus est, sicut Pater et Filius, sed a Patre et Filio Deus est, non a se. Solus Pater a se Deus: hi vero duo ab uno sunt Deus, id est a Patre: ac per hoc et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus: et non tres dii, sed unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et ideo cum dicimus in Scripturis: Solus Christus Filius Dei natus de Virgine, et ipsum crucifixerunt Judæi, et ipse est verus, et non est alter Deus præter eum, verum dicimus, quia non est alter Deus præter eum. Quia Pater Deus est omnipotens et solus sibi sufficit in sua persona. Et Spiritus sanctus Deus est omnipotens, et solus sibi sufficiens in sua persona. Et hi tres non sunt tres dii omnipotentes, sed unus Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et ideo solus sufficit Pater Deus, quia separari a Filio et Spiritu sancto non potest. Et solus sufficit Christus Filius Dei Deus, quia separari a Patre et Spiritu sancto non potest. Solus etiam sufficit Spiritus sanctus, quia separari a Patre et Filio non potest, quia simul tres unus Deus.

XX. Quamobrem non debemus dubitare Christum Filium Dei, quem Judæi crucifixerunt, esse verum Deum, et non esse alterum Deum præter eum. Credamus in eum, et adoremus eum, quia non est alter adorandus præter eum. Ecce panem et lac protulimus, accipiat quis quantum valet. Et hoc Domini est quod dicimus: nam qui dicimus nihil sumus, sed de quo dicimus, *magnus est, et magna virtus ejus: et sapientiæ ejus non est numerus*. Tantus ac talis est, ut nec de eo possimus dicere, nec de eo omnino tacere. Sed tamen cum sit inenarrabilis, non debet esse ignorabilis. Dicit enim Scriptura: *Generationem ejus quis enarrabit? (Isa. LIII, 8.)* Non dicit, ignorabit. Et ideo oportet primum ut credamus in eum, et tunc intelligere possumus quæ scripta de eo legimus. Quid enim prodest ut cum periculo quærat quod sine periculo nescitur? Ergo melius est non intellecta credere, quam credenda verbis mendacibus perdocere. Multum enim præcedit fides intellectum. Si enim fides habet meritum, et per ipsam etiam rusticis Christus daturus est præmium, præcedit utique intellectum. Quamobrem omnis rusticus idiota, qui recte credit in Christum, simpliciter vivet et recedet a malo, superat intellectum. Intellectus tamen, quamvis bona opera videtur habere, præcedit eum rusticus, si

fidem rectam habet. Nihil ergo intelligit qui non credit, dicente propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Ergo in divinis rebus fides tantummodo adit, et nulla quæstio remanebit. Quod si discutere volueris, et rationem de Deo et homine facere præsumperis, continuo in laqueo perditionis immergeris.

XXI. Nos ergo debemus dicere: illum Deum et istum hominem unum habemus et adoramus Deum, cum Patre et Spiritu sancto unum Deum, non hominem, quartam introducentes personam; sed cum ipsa carne propria unum adoremus Christum Filium Dei Deum, juxta Ephesini concilii veræ fidei documentum, quæ ait: « Cavemus autem de Christo dicere: Propter assumptam veneror assumptum, et propter invisibilem adoro visibilem. » Horrendum vero super hoc etiam illud dicere: « Is qui susceptus est cum eo qui suscepit non nuncupatur Deus. » Qui enim hæc dicit, dividit iteram in duos Christos eum qui unus est: et hominem seorsum in partem, et Deum similiter in partem constituens. Evidenter enim denegat unitatem, secundum quam non alter cum altero *coadoratur, aut conuncupatur*. Sed unus intelligitur Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. Hæc fides primi Ephesini concilii est, quod et textus Symboli probat. Quid ergo possum facere mente parvulis, si ab ista unitate fidei, vos audientes, recesserint, et unum Christum et secundum divinitatem propriam, et secundum humanitatem adoptivam confessi fuerint? Quid ergo nos faciemus, qui eos apostolicam fidem tenere docuimus, cum et ipsi a puro lacte matris Ecclesiæ, legis et Evangelii sugentes ubera, Deo miserante, ad solidum divinæ Trinitatis cibum pervenimus? Surgamus ergo cum ipsis apostolis, et fidei nostræ symbolum, quem tradiderant nobis, brevi compendio recitemus, quicumque unum Dominum, unam fidem, unum baptismum habemus: et fidem, in qua baptizati sumus, in hac perversitate et duplicitate hæreticorum non negemus. Sed sicut corde credimus, ore proprio proferamus publice, et dicamus:

XXII. *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Deum et Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus et sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit vivus a mortuis. Ascendit in caelos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem omnium peccatorum, carnis resurrectionem et vitam æternam. Amen.*

XXIII. Ecce fidem apostolicam, in qua baptizati sumus, quam credimus et tenemus. Et qui ad nos venerit de aliis regionibus, aut certe de nostris finibus, et hanc fidem et hanc doctrinam apostolicam adduxerit, recipiamus eum in sancta Ecclesia. Manducemus et bibamus cum eo, quia pacem

annuntiat et filius charitatis est. Et quia *Deus charitas est*, et quia *Christus caput corporis Ecclesiae est*, membrum corporis est. Et qui hanc fidem nobis non adduxerit, et nostram fidem dissolvere conaverit, et fermentum insolitae pravitate in azyma massae Ecclesiae miscere voluerit, et nos scandalizaverit, quid de eo faciamus? Joannem apostolum cubicularium regis interrogemus, ipsum qui supra pectus Domini recubuit; ipsum qui de sacratissimo ore intimo Divinitatis archivo hausit. Quem etiam primus apostolorum Petrus, quis esset qui Dominum traderet, interrogavit. Dic, sancte Joannes, quid faciemus de isto, qui nobis doctrinam vestram turbat? Respondet nobis, et dicit: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dixerit illi ave, communicat operibus illius malignis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem, hic talis seductor est, et Antichristus. Videte vosmetipsos ne perdati quod operati estis, sed ut mercedem plenam recipiatis. Omnis qui recedit et non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Christi, hic et Filium et Patrem habet. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae tractaverunt de Verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus, et tractavimus, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis. Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum: et societas vestra sit cum Patre, et Filio Jesu Christo. Filioli, novissima hora est. Et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt. Unde scimus quia novissima hora est? quia multi Antichristi sunt, qui nobiscum erant, jam contra nos sunt, jam foris sunt. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sed ut manifesti sint quia non sunt omnes ex nobis. Sed vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: et quoniam omne mendacium ex veritate non est. Quis est mendax? Qui negat quoniam Jesus est Christus. Hic est Antichristus qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, et Patrem habet.

XXIV. « Hæc scribo vobis de his qui seducunt vos. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut decuit vos, manete in eo. Et nunc, filii, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. Sed si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis qui facit justitiam ex ipso natus est. Videte

A qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. Et scitis quoniam ille apparuit ut peccata tolleret: et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

XXV. « Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio B diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, sed semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Et in hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est de Deo, et qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum. Charissimi, diligamus nos invicem, quoniam charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui autem non diligit fratrem suum, non habet charitatem, et non novit Deum, quoniam Deus charitas est. Ex hoc apparuit charitas Dei in nobis, cum Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis: et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Omnis qui confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo est. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in diem judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

XXVI. « Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poterit diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo

natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus Filium Dei, cum Deum diligamus et mandata ejus faciamus. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua, et sanguine, et carne. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quia tres sunt qui testimonium dant in terris: aqua, et sanguis, et caro. Et tria hæc unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus. Et hæc tria unum sunt in Christo Jesu. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, qui testificatus est de Filio suo, quem misit Salvatorem super terram. Et Filius testimonium perhibuit inter Scripturas proficiens: et nos testimonium perhibemus quoniam vidimus eum, et annuntiamus vobis, ut credatis.

XXVII. Et ideo: « Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quoniam non credit in testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium Dei, habet vitam. Qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum. Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et sciamus quoniam audit nos, quidquid petierimus: scimus quoniam habemus postulationes, quas postulamus ab eo, si credimus in eo et diligimus fratres. Non sic diligamus sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quod occidit eum? Quoniam opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa. Nolite mirari, fratres, si odit vos hic mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

XXVIII. « Filioli mei, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. In hoc scimus quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suademus corda nostra. Si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum nos non reprehenderit, fidu-

ciam habemus ad Deum: et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandatum ejus, in illo manet, et ipse in eo. Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in hunc mundum, et ex hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est. Et hic est illius Antichristi, quem audistis quoniam venit, et nunc in mundo est. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eos, quoniam major est qui in nobis est quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui autem non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. »

XXIX. Hanc epistolam, quam legimus charitati vestrae, Joannis apostoli et evangelistæ est, directa ad gentes. Et quia nos ex gentibus sumus, nobis directa est. Et quia virgo Maria peperit Jesum, de Jesu est; et quia de Jesu intentio nostra est, et Ecclesia pro ipso solo in duas partes divisa est, requiramus hos duos Christos, et inveniamus per spiritum, Jesus cujus filius est. Istud nomen accepit a Patre per prophetam, antequam nasceretur ex virgine, mundo annuntiatum: *Revelabitur, inquit, vobis filius meus Jesus*. Istud nomen angelus Gabriel nuntiavit Virgini, dicens: *Ecce concipies et paries filium; et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum: et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ecce Virgo non dubitavit de numine, sed quomodo fieret illud, bis nominavit. Ecce cujus filius est Jesus! Videamus nunc, si ipse est Dominus cæli et terræ. Et ait Maria: *Ecce ancillam Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (Luc. 1, 38)*. Ancillam se dicit quæ mater eligitur. Non est consuetudo ut matres filios suos dominos dicant: sed sola Virgo, quæ Dominum cæli et terræ peperit.*

XXX. *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth; et exclamavit voce magna, et dixit: Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce duæ testes! Virgo dixit: Ecce ancilla*

Domini. Elisabeth dixit : Matrem Domini. Et virgo, et mulier, cœli et terræ Dominum confessæ sunt. Decursis decem mensibus, Peperit virgo filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit in præsepio : quia non erat ei locus in diversorio. Angelus autem Domini apparuit pastoribus dicens : Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Jesus enim in lingua Latina, Salvator dicitur, Hebraice vero Jesus. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

XXXI. Requiramus nunc quæ est ista terra quam pacificavit. Oremus eum, et aperiat nobis os ille qui veritas est, ut veritatem de eo dicamus; et aperiat aures cordis, ut intelligant omnes qui audierint, quæ dixerimus. Si interrogamus omnes : Adam unde factus est? Si unus inter multos loquatur, et dicat quia de terra factus est; tam in Judæis quam in gentibus, sive Christianis, nullâ dubitatio est quod vere de terra sit; et ipsi in transgressione dictum est a Domino : *Terra es, et in terram ibis.* Veniamus per seriem generationis Christi usque ad diluvium, ubi solus Noe in illa generatione justus inventus est. Cui pro sua justitia donatæ sunt septem animæ, quæ per eum evaserunt diluvium. Sicut solus justus in hoc mundo Jesus Christus inventus est, cui donatæ sunt septem Ecclesiæ, quæ evaserunt secundum ignis diluvium. Veniamus de Noe usque ad Abraham, cui prima repromissio facta est, *quod in semine ejus*, quod est Christus Jesus, *hereditarentur omnes gentes.* Veniamus de Abraham usque ad David, cui dictum est : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isa. xi, 1).* Virga de radice Jesse, virgo Maria est. Flos de virga, Jesus Christus Filius Dei est. *Quia ego, inquit, flos campi, et lilium convallium.* Ecce Adam de terra, Noe de Adam, Abraham de Noe, David de Abraham, virgo Maria de David, Jesus Christus Filius Dei de Maria. Hoc est, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax (Luc. ii, 14).* Ipsa terra sublimata est, quando Verbo conjuncta est. Sic est Verbum carne factum unus Jesus Christus, una persona, Deus et homo, quemadmodum tua anima et caro unus est homo. Sic est natus de virgine Jesus Christus Filius Dei Deus homo eo pacto quo cum corpore nasci docetur anima. Non quia utriusque est una substantia, sed quia in utroque sit una persona.

XXXII. Prius quippe quam Redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum angelis habuimus, a quorum claritate atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei oramus a Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant angeli, cives Dei. Sed quia nos cognovimus regem nostrum, recognoverunt angeli cives suos. Quia enim cœli rex

terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt. Et quos infirmos prius abjectosque despexerunt, jam socios venerantur, cum naturam nostram in sede Dominica immortalis fulgentem gloria perviderunt. Plane illa natura, quæ audivit : *Terra es, et in terram ibis.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est : eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito terra mortalitatis nostræ, ut immortalis constitueretur in cœlo, utque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis rediret ad dexteram Patris. Et hoc est quod clamant angeli et omnis Ecclesia : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 14).* Bonæ voluntatis, id est, qui bene volunt. Qui bene credunt, ut cum angelis sociantur : non qui male credunt, ut cum diabolo damnentur.

XXXIII. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Dominus, vocatum est nomen ejus Jesus : quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur (Ibid., vers. 21).* Si requiramus consuetudinem mulierum, de nulla dictum est, In utero concepit, quia extrinsecus a viris acceperunt. Si requiramus Scripturas, tunc promissa est ista conceptio, quando serpenti dictum est in paradiso : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen ejus (Gen. iii, 15).* Et recte cognoscimus quia mulieres semina non habent, nec sine virili semine concipere possunt. Semen ergo mulieris, Verbum carne factum est, qui non de terra, sed de excelsis est, sicut ipse Jesus ait : *Ego de supernis sum, vos de inferioribus estis.* Et Paulus apostolus ait : *Primus homo, de terra terrenus : secundus homo, de cœlo cœlestis. Et postquam impleti sunt dies purificationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Requira- mus quis masculus vulvam matris aperuit. Nam si recta tractamus, omnes mulieres quæ primos filios masculos habuerunt, viri ejus aperiunt vulvam, quæ sola in utero concepit.

XXXIV. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in manus suas, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod præparasti ante faciem omnium populorum. Jam supra diximus quia salutaris nomen Jesus est, id est Salvator. Et ipse datus est lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis suæ Israel. Et dixit Simeon ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* In ruinam positus est plane non credentibus, et lapis offensionis, et petra scandali. Resurrectio vero et vita est credentibus. *Et in signum, cui contradicetur (Luc. ii, 34).* Videtis quia in signum est, cui contradicetur.

Quid est hoc signum, cui contradicetur, nisi crux, A
 nisi passio, sputa, probra, vincula, colaphi, alapæ,
 clavi, amaritudo fellis, mors, lancea, sepultura? Sic-
 ut et ipse Dominus signum mortis suæ annuntians:
*Generatio mala et adultera signum quærit, et signum
 non dabitur, nisi signum Jonæ prophætæ. Sicut enim
 Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus nocti-
 bus.* Hæc est in signo [Hoc est signum] cui contradic-
 etur. Ista faciunt scandalum incredulis, non solum
 Judæis, sed et hæreticis: nolunt ista applicare Deo
 Filio Dei. Et proinde dicunt: *Homo Christus, qui de
 Virgine natus est, Jesus Christus illi nomen est.* Et
 qui hunc negat Filium Dei esse, secundum Joannem
 ipse est Antichristus.

XXXV. Hoc totum quare diximus? Quia Joannes, B
 qui istam doctrinam nobis dedit, ipse nobis dixit:
*Ipse vicit mundum, qui credit quia Jesus est Filius
 Dei.* Ipsud nomen habet proprium Jesus: et ipsud
 personat Evangelium, sicut ait: *Acceptit Jesus panem,
 et benedixit, fregit, et dedit discipulis suis,* etc. Et
 cum comprehenderunt eum Judæi, interrogavit eos
 quem quærerent. *Responderunt: Jesum Nazarenum.*
Tum dixit eis Jesus: Ego sum. Et unus de illudenti-
 bus dedit alapam Jesu. *Et interrogavit Pilatus Je-
 sum.* Et Barrahā dimisit: Jesum vero flagellis ce-
 sum tradidit eis, ut crucifigerent eum. *Et clamavit in
 cruce voce magna Jesus.* Et mortuus est Jesus. *Et Je-
 sus quem quæritis Nazarenus, surrexit a mortuis.* *Et
 venit Jesus januis clausis, et stetit in medio discipulo-
 rum, et dixit eis: Pax vobis.* *Et elevatis manibus suis,* C
benedixit eos, et recessit ab eis, et serebatur in cælum.
*Et omnis lingua confiteatur quia Jesus in gloria est
 Dei Patris, cui cum Patre et Spiritu sancto una et
 æqualis est gloria. In cujus fide jam supra confessi
 sumus doctrinam quam ab apostolis accepimus.*

XXXVI. *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et
 in Jesum Christum Filium ejus unicum, Deum et Do-
 minum nostrum, qui natus de Spiritu sancto et Maria
 virgine.* Quibus tribus sententiis omnium fere hære-
 ticorum. . . . destruuntur. Quam doctrinam nobis
 Joannes apostolus confirmavit: et qualiter hæreticos
 a nobis expellamus, instigavit, dicens: *Si quis venit
 ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere
 eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit
 illi ave, communicat operibus illius malignis.* Nemo
 dicat illi ave, id est, nemo dicat illi Gaude: aut certe
 aliud, quod consuetudo est salutandi. Fides vera, quæ
 ab apostolis tradita est, in brevi est. Sine philoso-
 phia sæculi est, simplex est, et omnibus rusticis ma-
 nifesta, et omnibus captivis, et peregrinis cognita. Et
 ut plenius dicamus, omni Ecclesiæ, quæ per univer-
 sum orbem terrarum est constituta, publice consti-
 tuta est. Et unusquisque qualiter credat, brevi sym-
 bolo complexa est. Et qualiter oret, et ipsa brevis
 oratio Dominica est, quæ septem petitionibus constat,
 quæ ab ipso Domino, qualiter omnes creduli debeamus
 orare, tradita est. *Quamobrem nec extra sym-
 bolum habemus quod credere, nec quod extra Dominicam
 orationem orare. Nec nihil novum, excepto hoc novo,*

*A quod Virgo Deum hominem peperit: quia creavit Domi-
 nus novum super terram: femina circumdabit virum.*

XXXVII. Cæterum qualiter vivere debeamus, suf-
 ficat nobis illud vulgare proverbium: *Quod tibi non
 vis, alteri ne feceris: et habebis vitam æternam* (Tob.
 iv, 16). Vulgare est, quia hoc vulgus dicere potest.
 Cæterum Dominus in Evangelio ait: *Omnia quæ-
 cunque vultis ut faciant vobis homines, et vos similiter
 facite eis.* Et hoc est Ecclesia, et Christus. Credit
 recte rusticus, quia symbolum semper recitat. Orat
 recte, quia semper orationem Dominicam recitat,
 et dicit: *Pater noster, qui es in cælis.* Et vere Filius
 Dei est, si ut sibi non vult flori, alteri ne fecerit.
 Quæ et in illa epistola sanctissimi Joannis nihil
 aliud recitavimus quam hoc quod rustico sermone
 et brevi vobis diximus. Nam si, secundum Aposto-
 lum, *imperiti sumus lingua, scientia tamen, Deo mi-
 serante, non sumus imperiti: nec de imperitiis eru-
 bescimus, quod lectione non docemur: nec simplici-
 tates inter philosophos a fide vera dubitamus, cum
 apostolos simplices et rusticos magistros habemus.*
 Nullus philosophorum potuit dicere primus: *Tu es
 Christus Filius Dei vivi, nisi Petrus piscator, homo
 rusticanus et pauper, qui ab opere callosam habebat
 manum. Iste piscator et rusticanus de Jerosolyma
 perrexit Romam. Et rusticanus cepit Romam, quam
 eloquentes capere non potuerunt. Nullus sapiens
 mundi primus potuit dicere: In principio erat Ver-
 bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-
 bum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per
 ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et
 vidimus gloriam ejus, gloriam unigeniti a Patre, ple-
 num gratiæ et veritatis. Et Verbum caro factum est,
 et habitavit in nobis, id est, Deus homo factus est; et
 habitavit in nobis, hoc est, habitavit in carne, quæ
 nos sumus. Nisi Joannes hoc dixit, piscator et rusti-
 cus, cujus epistolam vobis legimus, qualiter in Jesu
 Christo Filio Dei credamus, et cum illo una per-
 sona simus, si dilectionem Dei et proximi habue-
 rimus. Hæc est Ecclesia in charitate per charitatem,
 quæ Deus est; ut maneamus in Deo, et Deus in no-
 bis, si hoc fecerimus proximo quod fieri volumus et
 nobis. *Nam qui odit fratrem suum, homicida est:
 et talis homicida non habet vitam æternam, quod est*
 D *Jesus Christus, sicut Apostolus ait: Ut cognoscant
 te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Chri-
 stum. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Ecce fidem
 nostram, qualiter credimus et oramus, brevi com-
 pendio rustici homines sapientibus pandimus:
 docete, si nostis amplius. Nam, sicut diximus, fides
 in brevi est. Hoc ipsum Isaias attestatur, qui ait:
*Consummatus quidem et breviatas res audivi, quia ver-
 bum brevium faciet Dominus in terra* (Isa. x, 25).
 De quo vero idem prophetavit: *Ecce verbum Domini
 factum est illis in maledictionem, et noluerunt illud.* Qui
 sunt qui noluerunt illud, nisi Judæi et hæretici, qui
 Verbum abbreviatum, id est, hominem factum, non
 credunt esse Filium Dei, ipsum, qui pro nobis vulne-
 ratus est, ut vulnera nostra sanaret? De quo in psalmo*

CVI dicit: *Misit Verbum suum, et sanavit eos: et eripuit eos de interitu eorum. Et hoc est verbum fidei, quod prædicamus in brevi: quia parvulus natus est nobis: filius datus est nobis.* Cujus est iste filius, nisi Filius Dei Deus verus? *Nobis natus est de Virgine, non sibi. Nobis datus est pro redemptione, non sibi. Et factus est principatus ejus super humeros ejus.* Quia pro nobis pependit in cruce, non pro se. Et pro nobis est judicatus, non pro se. Quia tunc vicit principem mortis diabolum, cum judicatus est et morti condemnatus, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, propheta attestante David: Et vincas dum judicaris.* Et hoc est, principatus ejus super humeros ejus. Et quia ipse est Deus verus, et non est alter Deus præter eum; audite quod sequitur: *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis (Isa. ix, 6).* Ecce sex nomina ejus diximus, in quibus nominibus nullum esse alterum Deum, præter eum, secundum fidem nostram, quam credimus. Et si aliquis dicit quod non sunt nomina quæ diximus de Christo, audiat quid sequitur: *Multiplicabitur ejus imperium: et pacis ejus non erit finis. Super solium David sedebit, et super regnum ejus, ut confirmet illud, et conroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.*

XXXVIII. Pro:ulimus fidem nostram Ecclesiæ nostræ, proferat nunc dominus Elipandus fidem suam Ecclesiæ suæ, in qua fide nos redarguit, ut auditu credamus, aut, si noluerimus, a diocesi sua exsules habeamur. Tunc lecta est ipsa epistola, et multum fidei nostræ contraria, quæ nunc in Veteri Testamento nec in Novo erant scripta: quam [Forte, quæ] ipsa verba fidei suæ nobis incognita in unum copulavimus: et quo facilius agnoscerentur, more symboli, brevi compendio in pagina compegimus. Et quantum discordaret de fide nostra, symbolum Ephesini [Leg. potius Nicæni] concilii ei contrarium posnimus.

XXXIX. Primus ego Hetherius Oxomæ sedis indignus nominatus episcopus, qui ab archiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, profero fidem meam cunctis audientibus. Quam fidem a sanctis Patribus accepi, credidi, et omni Ecclesiæ recitandam prædicavi. Et sicut cum omni Ecclesia catholica corde retineo, ore patulo dico: «Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem cœli et terræ, visibillium omnium et invisibillium conditorem. Et in unum Dominum Jesum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum ex Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ. Per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, et quæ in terra. Qui propter nos, et propter nostram salutem descendit. Et incarnatus est de Spiritu sancto, et Maria virgine homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos: sede ad dexteram Patris. Iterum venturus est in

A gloria judicare vivos et mortuos. Cujus regni non erit finis. Credimus et in Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem, ex Patre et Filio procedentem. Cum Patre et Filio adorandum et glorificandum. Qui locutus est per prophetas. In unam catholicam atque apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissione peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum. Vitam futuri sæculi, Amen.»

Explicit symbolum fidei Ephesinæ.

INCIPIT SYMBOLUM FIDEI ELIPANDIANÆ.

XL. «Ego Elipandus, Toletanæ sedis archiepiscopus, cum omnibus mihi consentientibus: Credo Trinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in una Deitatis essentia atque natura, hoc est, Deum, et Principium, et Spiritum sanctum, in una natura Deitatis Trinitatem personarum. Quia sicut homo derelinquendo patrem et matrem, et adhærendo uxori, cum sint duæ personæ, jam non sunt duæ, sed una vocatur caro: et sicut multorum animæ in dilectione Dei unum est cor, et una efficitur anima: ita Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, opifex unius totius conditæ creaturæ, unius glomeratio charitatis, unius ambitus dilectionis coæterna substantia. Ipse quoque Pater per semetipsum descendit ad turrem quam ædificabant filii Adam, et dixit Filio et Spiritui sancto: *Venite, descendamus, et confundamus ibi linguas eorum.* Per semetipsum quoque veniens, de judicio Sodomorum Loth eripuit. Per semetipsum etiam in monte Sina descendens, Moysi legem dedit. Nam si intelligere vultis personas, quomodo sit unus Deus Trinitas, cognoscite comparative lapidem et ignem qui in eo est, et frigore in lapide manente, unam esse substantiam. Attendite hujus lapidis comparisonem, indivisam personarum Trinitatem: et si prævaletis, considerate de ineffabili Divinitate, et videte unius Deitatis invisibilem Trinitatem. Et sicut alia est persona frigoris manentis in lapide, atque alia ignis manentis in parente: et tamen procedens non desinit esse cum generante: ita Filii persona alia est, et non desinit in una substantia Deitatis esse cum Patre. Et sicut lapis præcedit ignem illum in se manentem in visione, ita Pater præcedit Filium, non tempore sed origine. Ipse quoque Dei Filius, cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, Deitatem invisibilem exinaniens, apparuit subjectæ creaturæ specie cum Patre et Spiritu sancto Abrahamæ in ipso fervore diei. Quia sicut absentia lucis tenebræ sunt, et absentia tenebræ lux esse creditur, tertium inter utrosque non obsistit: sic in uno Verbo Dei, id est unico Filio ejus, fortitudinem, et honorem, et gloriam esse credimus. Et sicut Spiritus pars animæ est, per quam imagines rerum corporalium imprimuntur: sicut mens pars ejusdem animæ est per quam omnis ratio intelligentiaque percipitur: sicut memoria, quæ meditari memoratur: sic in Verbo

Dei pro suis officiis diversa meruerunt vocabula, quæ nequaquam dividuntur in substantiam. Quem sacra Scriptura testatur pro salute humani generis, deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, captivum, peregrinum, leprosum, despectum, et, quod est deterius, non solum ab angelis, sed etiam ab hominibus minoratum, vermem esse dictum, ex persona Scriptura ejus dicente: *Ego sum vermis, et non homo; opprobrium hominum, et abjectio plebis.* Cujus gloriam, secundum divinitatem, stupent cœlestia, et magnitudinem contremiscunt terrena. Et qui dicit gloriam meam alteri non dabo, homo interior [inter nos] in una eademque Dei et hominis persona agglomeratus, atque carnis vestimento indutus. Quia non per illum qui natus est de Virgine visibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere; neque gratia, sed natura.

XXI. « Et per istum Dei simul et hominis filium, adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. Qui est Deus inter Deos: qui utrum comedisset, an bibisset, ei cognitum manet, cui nonnulla actionis suæ mysteria nescire voluit [noluit]. Quia si conformes sunt omnes sancti huic Filio Dei secundum gratiam, profecto et cum adoptivo adoptivi, et cum advocato advocati, et cum Christo christi, et cum parvulo parvuli, et cum servo servi. Credo etiam inter ipsa sancti Spiritus charismata gratiarum, Spiritum sanctum esse adoptivum, in quo clamamus, *Abba Pater*: in quo Spiritu non nego hominem Christum esse adoptivum. Credimus enim quia in resurrectione similes ei erimus, non divinitate, sed carnis humanitate, videlicet carnis assumptione quam accepit de Virgine. »

XXII. Ecce duos symbolos nimis inter se contrarios, et valde sibi dissimiles. Et hi duo, qui ex his divisio, Ecclesiam Christi tractare. Et secundum quod Joannes apostolus in sua nos epistola instigavit, dicens: *Charissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in hunc mundum. Et ex hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est. Et hic est illius Antichristi, quem audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est (I Joan. 1v, 3).* Quid est solve-
vere Jesum, nisi seorsum Deum et seorsum hominem prædicare? Ipse sine dubio solvit Jesum, qui prædicat populo, dicens: Nunquid per illum qui natus est de Virgine, per ipsum visibilia et invisibilia condidit, an per illum qui non est adoptione sed genere, nec gratia sed natura, cuncta creavit? Et ideo absque dubio per illum quem

A sibi coæqualem et sine adoptione genuit, cuncta creavit. Et per ipsum Dei simul et hominis filium Verbum carnem factum, adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. Videte Spiritum, qui solvit Jesum. Aperite oculos: aperta materia est. Spiritus erroris hoc dictavit. Illius Antichristi spiritus in hoc inspiravit. Si certe mentio, qui discordant symboli, qui discordant epistolæ? Legite epistolam Joannis, hoc non dicit. Sed quid dicit? *Antichristus est qui Jesum solvit. Spiritus erroris est qui negavit Jesum in carne venisse.* Apostolus clamat aperte, et dicit: *Nos vidimus et testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.* Et adhuc dubitamus credere? Et adhuc dubitamus confiteri? Apostolus dicit: *Qui negat quod Jesus est Filius Dei, negat eum in carne venisse; et ipse est antichristus.*

ELIPANDUS DICIT.

XLIII. « Qui non fuerit confessus Jesum Christum adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, et hæreticus est, et exterminetur. *Auferite malum de terra vestra.* Non me interrogant, sed docere quærunt, quia servi sunt antichristi. Hanc epistolam Domini ^a Ascarici episcopi ideo fraternitati tuæ direxi, charissime Fidelis, ut cognoscas quanta in Christi servis regnet humilitas, quanta in Antichristi discipulis regnet superbia.

C « Cum dominus Ascaricus mihi non docentis imperio, sed interrogantis voto ea scribere voluit, sicut illum vera humilitas docuit. Isti vero, modo et contraria dicendo, modo, et quasi ignorantem me, quid rectum sit, noluerunt interrogare, sed docere. Unde Deus novit quia licet proterve scripsissent: nam si vera dixissent, gratus obedire debui, reminiscendo quod scriptum est: Si juniore revelatum fuerit, senior tacet. Et iterum: « ^b Proximus ille Deo est qui scit ratione tacere. » Nam nunquam est auditum ut Libanenses Toletanos docuis-
sent. Notum est plebi univerſæ, hanc sedem sanctis doctrinis ab ipso exordio fidei claruisse, et nunquam schismaticum aliquid emanasse. Et nunc una ovis morbida, doctor nobis appetis esse. Et tamen nolui ea ad aures cæterorum fratrum nostrorum perducere, antequam illic, ubi exortum est hujuscemodi malum, sit radicatus amputatum. Quia ignominia erit mihi, si ^c in traditione Toletana hoc malum fuerit auditum; ut quod ego et cæteri fratres mei in Ispalitanis tanto tempore dijudicavimus, et Deo auxiliante, tam in festis paschaliis quam in cæteris erroribus ^d Migetianorum hæresim emendavimus. Nunc illi ^e contrario inveniunt unde nos arguant. Et tamen si tepide fuerit actum, et non fuerit a vobis emendatum, tunc illud ad notionem reducam

^a Ascaricus fuit Braccarenſis episcopus, cujus epistola ad Elipandum legitur in Martyrologio Hispanico, tom. I, pag. 187.

^b Est Catonis.

^c Forte intra ditionem Toletanam.

^d Dissidebant illi a cæteris circa celebrationem Paschalis. Ideoque damnati a concilio Hispanensi, cui præfuit Elipandus Toletanus præsul.

fratrum, et erit vobis ignominiosum si ab illis in vobis reprehensum fuerit.

XLIV. « Adolescentiam sane fratris nostri Heterii lacte adhuc alitam, et nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, vestra fraternitas erudiat : quia non cum magistris optimis, sed cum ignaris et schismaticis, videlicet Felice et Beato Antiphrasio, æquales in virtute, et pares in errore, habuit collationem. Bonosus et Beatus pari errore condemnati sunt. Ille credidit de matre adoptivum, et non de Patre ante sæcula proprie genitum, et non de matre temporaliter adoptivum. Cui similem existimabo illum, nisi Fausto Manichæo? Faustus condemnavit patriarchas et prophetas, iste condemnat doctores priscos et modernos. Obsecro ut calore fidei accensi, tanta sitis intentione præcaldi, ut errorem prædictum de medio vestri auferatis : ut sicut per servos suos Dominus de finibus Bæticæ eradicavit hæresim Migetianam, ita per vos de finibus Asturiensium funditus evellat hæresim Beatianam. Sed quia audivi quod præcursor Antichristi in medio vestri apparuit, qui illum jam natum annuntiat, quæso ut perquiras ab eo, ubi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mentis prophetarum, qui in eo loquitur, et nos sollicitos redde [Florez, reddat]. »

XLV. Hæc epistola tua est. Hæc verba tua sunt. Hæc fides tua est. Hæc doctrina tua est. Hæc sapientia tua est. Et ad ipsa nos inclinare jubes. Et quia non inclinamus, clamatis quia hæretici sumus et præcursores Antichristi. Et ipse spiritus mendax qui in ore Achab prophetarum ingressus est, ipse loquitur in nobis. Et dicas Fideli tuo : « Perquire ubi est natus, et nos sollicitos redde. » Hæc injuria non nostra, sed ipsius quem adoramus. Et tamen si recte credimus Filium Dei, sicut veritatem sine dubitatione credimus, illius injuria est, cum nostra est. Et cum illius injuria est, nostra est, quia caput et corpus una persona est. Neque enim cum pes premitur, caput glorificatur.

XLVI. Denique jam Caput ad cælos ascenderat, quando Saulus discipulos Christi trucidabat. Et dictum est ei : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Non dixit, quid persequeris servos meos, sed, *quid me persequeris?* Petrus quoque apostolorum primus, compatiens discipulis lacrymantibus, ut eos non relinqueret, sed abscederet a civitate, sed fugeret ante Nerone[m], victus fletibus discipulorum, cessit et promisit se Urbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus et celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere. Et adorans eum dixit : *Domine, quo venis?* Dicit ei Christus : *Iterum venio crucifigi.* Intellexit de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videretur, qui patitur in

singulis. Non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conversus statim Petrus in civitatem rediit : comprehensusque a persecutoribus, cruci adjudicatur. Paulus ipse vas electionis discipulis narrat : *Quotidie compleo ea quæ desunt passioni Christi, in carne mea.* Et quia duo genera sunt martyrii, id est passio et compassio, passus est Dominus in Petro et Jacobo, compassus est in Joanne. Deque Jacobo et Joanne dixit : *Potestis calicem bibere quem ego bibiturus sum? Responderunt, Possumus.* Dicit eis Jesus : *Calicem meum bibetis :* et utique cum calix in Scripturis legitur, passio nominatur. Omnis enim servus Dei qui reclam fidem habet, quia *justus ex fide vivit ;* et omnem hominem, sicut semetipsum diligit, calicem Christi bibit. Non est aperte sanguinis effusio, aut corporis passio, sed animi compassio. Quia uterque unus Christi bibitur calix, ut Salomon in Cantico canticorum ait : *Fortis est dilectio sicut mors* (Cant. viii, 6). Sicut enim qui moritur, jam ultra istum non videt mundum, ita et qui omnem hominem diligit sicut se, non potest videre hunc mundum, id est amatores mundi. Et iste potest dicere cum Paulo apostolo : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Quia ubicunque tribulatio aut hæresis surrexit in Ecclesia, confestim tribulabatur ; statim compatiebatur in singulis, sicut Christus, qui patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed animi compassione. Quæ passio et compassio una est passio, quia unus est calix qui bibit, et una persona est caput et corpus qui patitur. Qui dicit se recte credere in Christo, et membra ejus non recipit, quomodo Christum recte credat, non video. Totum enim Christum non diligit, qui hominem odit. Et omnis qui odit fratrem suum, Cain est, fratricida est, homicida est. Et talis homicida non habet Christum, qui est vita æterna. Non habet Christum, quia non imitatur Christum : imitaretur si omnem hominem sicut semetipsum diligeret. Et non solum amicos, sed etiam inimicos. Amicos diligere in Deum, et inimicos propter Deum. Non enim Christus pro amicos, sed pro inimicis mortuus est. In tantum dilexit inimicos, ut se morti traderet pro eis. Quod si non faceret, nullus inveniretur qui eum laudaret. Sed cum inimici essemus, *pro nobis mortuus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Joannes Apostolus dicit : *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et sciis quoniam omnis homicida non habet vitam in se manentem. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quia pro nobis animam suam posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hoc totum quare diximus nisi quid esset Ecclesia, firmaremus? Et cum Ecclesia cognoscitur, cognoscitur et Christus, qui

^a Antiphrasio ; quia dicebat Elipandus Beatum hoc nomine per antiphrasin appellari ; ut liquet etiam ex epistola Caroli Magni ad Elipandum. Stew.

^b Idem refert Ambrosius in Auxent. de basil.

non trad. ; Hegesip., lib. iii, cap. 2 ; Greg., in psalm. iv pœnit. ; Baron., card. ad annum Christi 69, Annal. Eccles.

caput Ecclesie est. Et ubi Ecclesia Christi est, pax est, quia pax nostra est *Christus*, qui se et nos fecit *utraque unum*.

XLVII. Proinde dilectionem prædicamus, et cum nemine scandalum habere volumus, secundum prophetæ dictum: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*. Tu ergo qui habes scandalum contra nos, dic quare? Hic Dominus in Evangelio ait: *Non desinent, ut veniant scandala: væ homini illi per quem venit (Matth. xviii, 7)*. Perquiramus principium hujus scandali, unde surrexit: et secundum Domini dictum, *væ illi erit per quem venit*. Scripsisti novam doctrinam; et illa, quæ per totum mundum omnium baptizatorum voce deponitur, dimisisti. Et nos incogniti de tua doctrina volumus ea recipere, et illa dimittere quæ per totum mundum tenet Ecclesia. Ecce scandalum unde venit in Ecclesia. *Væ illi per quem venit*. Nam nostra fides symbolum est, et in hoc stat Ecclesia catholica per universum orbem terrarum constituta; quæ diffusa esse creditur, non divisa. Tu vero novum symbolum composuisti, qui in Scripturis sacris inventus non est; et direxisti in nostra Ecclesia, ut credamus Trinitatem personarum Patris et Filii, in una natura idem. Et hoc Sabellius dixit. Quia verbo tantum Patrem et Filium in uno Deo, et Spiritum sanctum dicebat: et tamen confundebat personas, ut unam eos esse personam diceret. Sicut unus homo natura est, et in eo imago Trinitatis, id est, memoria, intelligentia et voluntas, quæ tria in una natura sunt, et in una persona sunt, et in uno homine sunt: et ipsa tria homo non est. Hoc dixi de Trinitate in uno Deo, ut credamus Trinitatem personarum Patris, et Filii, et Spiritus sancti in una natura, id est in uno Deo. Et quia unus homo imago Trinitatis in anima est, idem in memoria, intelligentia et voluntate. Et ipsa tria in una persona hominis, et ipsa homo non sunt, sed hoc totum una persona est: sic nos cogis intelligere et credere ut dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in uno Deo, in una natura, et non sint ipsa tria Deus, sicut nec illa tria sint homo quæ supra diximus. Quod si verum non dicimus, tractent spirituales viri, et aliud credimus invenire non possunt, qui libros de Trinitate legunt. Sed quia grandis materia est, et sigillatim discutienda sunt, ea præferre debemus unde scandalum ortum est pro quo schismatici hæretici a te nomen habemus.

XLVIII. Jam diximus tuam Trinitatem, quam nos non recipimus; dicamus et tuum Christum, quem talem esse non credimus. Dicitis enim: « Nunquid per illum qui natus est de Virgine, per ipsum visibilia et invisibilia condidit; an per illum qui non est adoptione sed genere, nec gratia sed a natura, cuncta creavit? Et ideo absque dubio per illum quem sibi coæqualem et sine adoptione genuit, multa creavit. Et per istum Dei simul et hominis filium Verbum carnem factum adoptivum humanitate, et nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. »

XLIX. Ecce tuam fidem de Christo. Et hanc non recipimus, quia nec talem fidem habemus, nec talem doctrinam ab apostolis accepimus, nec in lege et Evangelio tale unquam legimus, sed neque in libris doctorum aut manualibus, sed tantum in tuis dogmatibus. Et ob hoc a te, Antichristi discipuli nomen habemus. Ecce unde surrexit inter nos scandalum. Cætera multa dixisti, quæ supra in symbolo tuo comprehendimus: sed modo discutienda non sunt, quia nec valemus: sed si Deus voluerit et vixerimus, discutienda et abjicienda sunt ab Ecclesia; quod absit, per illa christianum nomen careamus; et jam non Christiani, sed Elipandiani nomen habebimus. Cujus fidem qui secutus fuerit, ejus vocabulum sumit: sicut Ariani ab Ario, Sabelliani a Sabellio, et cæteri ex nomine auctorum suorum. Et ideo unus Christus nobis sufficit filius Virginis, qui nomen habet Jesus. Illos tuos, qui dicis istum et illum, necesse non habemus, quia nec nomina illorum a te scripta cognovimus. Istum et illum dixisti, Jesum vero nominare non potuisti, quia nec eum in corde habuisti. Quod si habuisses, cum Paulo apostolo dicere potueras: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? et alio loco dicit, quod nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Siquidem et in suis Epistolis non est ausus tecum dicere, e deitate exinanita, « Et nos adoptivi, et ille adoptivus; et nos Christi, et ille Christus; et nos parvuli, et ille parvulus; » et cætera spurcicia, quæ tu Jesu Christo Domino nostro ausus es dicere, servum cum servis; sed sua Epistola ad Romanos sic habet: *Paulus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelio Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri; per quem accepimus gratiam et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, in quibus et estis vos vocati Jesu Christi; omnibus sanctis, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis: gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus. Cujus servum se dixit Paulus apostolus? aut in cujus Filii Evangelio serviebat? Aprite oculos, et videte venenum. Projicite cito foras, ne moriamini ex eo. Legite totas Epistolas Pauli, et inveniatis servum Jesu Christi se nuncupantem, et Filium Dei coram omnibus consistentem. Nam non inveniatis ibi istum et illum, adoptivum humanitate et nequaquam adoptivum divinitate. Legite septem canonicas: Petri apostoli duas, Joannis apostoli tres, Judæ vel Jacobi singulas, hoc non inveniatur scriptum. Legite librum Evangeliorum quatuor, et Apocalypsim Joannis, atque Actus apostolorum, et*

hoc ibi non inuenietis : sed *seruus Jesu Christi* nominantes ; et illum *Dei Filium Deum verum* constituentes. Legite libros omnium doctorum usque ad libros manuales, et inuenietis quod nemo talia scripsit, quia nec talia credidit. Quod si certa talia inuenieritis scripta, qualia nuper scripta est ab Elipando Toletanæ sedis episcopo, tunc credite ei, quod hæretici sumus et Antichristi discipuli, et projiciat nos a terra vestra : et, secundum illius præceptum, *auferite malum de medio vestri*. Si certe nos dicimus veritatem, ille mendacium dicit, quia non habemus unam fidem : et fides versa [diversa] non facit charitatem unam, et ob hoc diuisa est in duas partes Ecclesia. Et jam in Scripturarum præcincti arma unusquisque fidei suæ, publice surreximus ad pugnam. Et quia tres reges contra unum surrexerunt, non timeamus. Fortes estote : *Plures enim sunt nobiscum quam cum illis*.

L. Nobiscum est David ille manu fortis, qui paruo lapide Goliath blasphemum, qui exprobrabat exercitum Dei Israel, in fronte percussit et uno ictu prostravit. Nobiscum est Moyses, qui Pharaonem cum suo exercitu in Rubro mari demersit : et populum suum sicco pede transire fecit. Nobiscum est Josue, qui quinque reges in una spelunca conclusit, qui antea Amalec vicit. Nobiscum est pater Abraham cum trecentis vernaculis, qui quinque reges superavit, et spoliis exiit : nam isti tantum tres reges sunt. Nobiscum est virorum fortissimus Gedeon, et trecenti electi cum eo, cum quibus *percussit Madiam quasi unum virum*. Nobiscum est Samson leone fortior, saxo durior, qui solus sine armis mille prostravit armatos. Nobiscum sunt duodecim patriarchæ. Nobiscum sunt sedecim prophetæ, apostoli et evangelistæ. Nobiscum sunt omnes martyres et doctores. Nobiscum est Jesus filius Virginis, cum omni Ecclesia suo proprio sanguine comparata, et per uniuersum orbem terrarum dilatata. Ista tantum hostis in uno angulo tenetur coarctata. *State ergo secundum Apostolum, succincti lumbos vestros in veritate : et induti lorica[m] justitiæ, et calciati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Dicamus cum sanctissimo David propheta : *Adjutorium nostrum a Domino, qui fecit cælum et terram*. Donavit certantibus victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non nos hostium turba, non bellantium revocet forma, non quasi fulgentia vitrea arma terreant. *Hi in curribus, et hi in equis ; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur*. Non timeamus. Non sunt bellatores. Negotiatores sæculi sunt. Snum negotium portant, non nostrum ; sua quaerunt, non quæ Jesu Christi. Aurum se dicunt et argentum portare ; sed mixtum est, adulteratum est, falsum est. Veniant trapezitæ, et videant quia mendacium est. Nemo ex his accipiat, nemo emat, ne postmodum pœniteat. Vinum nobis porrigunt, nemo accipiat, nemo bibit, mixtum est aqua.

A Et hoc quod videtis, plus aqua quam vinum est. LI. Jam et hoc aliquando factum est tempore Jeremiæ. Erant pseudoprophetæ, hoc est hæretici, qui falsa et adultera verba populo prædicabant, et dicebant : *Hæc dicit Dominus*. Quos Dominus omnino non miserat. Unde et per Isaiam caupones eos teterimos appellabat, dicens : *Caupones tui miscent vinum aquæ (Isa. 1, 22)*, eo quod sapienti et sincero mero, id est verbo Dei, inspidum et aquatum, id est terrenam et humanam doctrinam, quasi aquam miscentes vino, populo intimabant. Ideo caupones aquam vino miscentes audire meruerunt. Et quamquam vinum nominetur hoc loco, tamen bonum est, quia doctrina prophetarum et apostolorum est. Sed quia mixta est, id est hæreticæ pravitatis infecta, hæc aqua non de vero fonte est, id est non de Christi doctrina, sed de hæreticorum collecta lacuna, et de mundi opinione falsa scientia. Obscura verba, quæ a paucis intelligantur, qualiter possint, quo pacto vero dogmati mixta sapientia colorari. Quæ nos Spiritu sancto docente, illum spiritum erroris, qui sibi ista confingit, pro quo possit nomen doctis assumi, et suam doctrinam mixta cum Ecclesiæ doctrina copulari. Quam aquam Moyses vertit in sanguinem : quæ est prima plaga Ægypti. Et licet illa in Ægypto corporaliter gesta sint, spiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Ægyptus namque sæculi forma est, in cujus prima plaga aquæ vertuntur in sanguinem. Et omnes hæretici philosophi sunt : quia rusticus hæreticus dici non potest, ob inde aquæ Ægypti erunt, id est, hæreticorum lubrica et obscura philosophantes doctrina. Quæ merito in sanguinem vertuntur, quia Scripturas sanctas carnaliter sentiunt. Sed mox ubi crux Christi fuerit, his veritatis lumen ostendit, et eos acrius redarguit, ut ex qualitate personarum proprios agnoscant errores. Et tunc probatur, quæ est Spiritus Dei, et quæ erroris.

LII. De quo Spiritu erroris in Apocalypsi dicitur : *Et vidi ex ore draconis, et ex ore bestię, et ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum (Apoc. xvi, 13)*. Draco quis alius nisi diabolus est ? Bestia a vastando nomen accepit, quia non herbas mandit, sed sanguinem effundit, et carnem lacerat, unde vivit. Hæc bestia, quid aliud nisi homo est, qui hominem premit [Forte, perimit]. Pseudo autem propheta hæreticus est. Tres spiritus se vidisse testatur, sed unus spiritus est. Quia, sicut homo adhærens Deo fit unus spiritus, homo malus adhærendo hæretico fit unus spiritus cum diabolo ; sicut et ipse diabolus de semetipso ait : *Sedebo in monte testamenti, et in lateribus aquilonis*. Montem testamenti diabolus præsidet, cum corda hæreticorum tenet. Lateræ hujus montis sunt omnes qui eis consentiunt et eorum defensores assistunt. Hi spiritus verba ipsorum sunt, quia quod diabolus eis inspirat, hoc loquuntur : quem spiritus dicit esse quasi ranæ. Rana est loquacissima vanitas. Nihil enim cibo aptum est animal istud, quoniam immundum est. Ni-

hil aliud animal istud utile est, nisi quod sonum vocis, improbis et importunis clamoribus reddit; nam in lacunis, et cœno, atque collectionibus aquarum sordibus volutantur. Sic hæretici, non in aqua limpidiſſima, aqua viva, quæ de fontibus *Salvatoris*, id est, doctrina apostolorum est, sed in ipso populo ignaro et lubrico indignis clamoribus, quasi ranæ e cœno, voces emittunt: qui inani quadam et inflata modulatione superbix, velut ranarum sonis et cantibus novis deceptionis fabulas scribunt.

LIII. Sic aurum et argentum purum simulant, nos illudere quærunt in negotio quo et istud æramento et stannum miscuerunt. Nos tamen efficiamur, secundum præceptum Domini, probabiles trapezitæ; quia peritix disciplina est probare quid sit aurum purissimum, quod vulgo dicitur obryzum, vel quid sit minus purgatione ignis terreo, [æreo] vili-que denario. Si pretiosum numisma fulgore auri fulgentis mutetur, prudentissima discretione providendum est ne decipiamur: et non solum consideremus si aurum purum est, sed etiam acute cernentes, cujus imagine sculptum habet, si veri regis, si latronis. Nam latro, quia aurum furatur, hoc publice negotiare non præsumit: sed denuo in conflatorium mittit, et vultum imperatoris atque imaginem sub falsitate exprimit. Et hoc debemus sapienter agnoscere; et illa quæ sit veri regis moneta, an falsi negotiatoris non legitime figurata, prudentia velociori discernere, et dum viderimus quod purum aurum est et absque mixtura, et veri regis imaginem habet, adhuc dubitandum est et comparandum non est, nisi trutinæ imponatur. Ne forte minus de pondere habeat, diligenter inquiretur.

LIV. Quæ omnia nos quoque spiritualiter observare debere, evangelicus sermo sub hujus nomine demonstrat exemplo. Primum, ut quidquid in cordibus nostris irrepserit, vel quidquid novæ doctrinæ fuerit intromissum, probare debemus, [spiritum] utrum sit divino illo et cœlesti Spiritu sancti igne purgatum, an spiritu erroris irreptum, quod de hæretica pravitate veniens, seu de sæculari philosophix tumore descendens, sub nomine sanctitatis hypocrisin præferens, in superficie tantum ostendat pietatem, diligentissime perscrutari debemus. Quod ita poterimus implere, si illud apostolicum fecerimus: *No-
lite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Quo genere illi quoque decepti sunt, qui se Deo servire promiserunt et post professionem monachi, nitore sermonis, et quibusdam sunt philosophorum dogmatibus illecti: et per hoc ascendentes ad primas cathedras, ut publice ab hominibus ignaris viderentur esse magistri, sacerdotium sunt adepti. Qui in prima fronte ordinis humilitatem et sanctitatem simulant, piis quibusdam hac religio mentis consona suadentes, velut auri fulgori fallentia, quos semel in superficie simulationis illexerunt, velut numismatibus æreis falsis et mendacibus deceptos. nulos ac miseros in perpetuum reddiderunt,

• Forte, hortamentis consona suadentes.

A vel ad sæculi eos strepitum revocantes, vel ad hæreticos errores hac præsumptione tumidos pertrahentes. Quod etiam Acham in libro Jesu Nave fuisse perpessum, qui de Jericho linguam auream concupiscens, pro quo, irascente Domino, multi perierunt manu hostili ex populo: atque postea ille pro furato anathemate ab omni populo lapidari meruit, et a Domino æterna morte damnari. Hoc significavit, qui in Ecclesia hæreticorum inferrent dogma, vel superstitiosa sæcularium literarum studia. Hæc est enim *lingua aurea* (*Josue*, vii, 21) in luculento sermone aptata. Hanc fraudati sunt Arius, Sabellius, Bonosius, Marcio, Basilides, Elipandus Toletanæ sedis archiepiscopus. Furati sunt enim isti regulas aureas de Jericho, id est de schola sæculari, et philosophorum sectam non rectam Ecclesiam conati sunt introducere, et maculare omnem Ecclesiam Domini ita ut disperderentur multi per eos. Ideoque abjecti anathemate, quasi acervo lapidum, id est, multitudine peccatorum oppressi atque extincti sunt, sicut Acham acervo lapidum oppressus ab Israel extinctus est. Cujus errore præempto, rex Hay, hoc est diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quosdam abjecerat, iterum superatus devincitur, atque a populo Dei suspensus ligni crucis virtute occiditur.

LV. Primum diximus de auro mixto, id est, hæreticorum mixta doctrina, et puro auro de Jericho furato, hoc est, hæreticos de mundi philosophia eruditos in sacerdotio electos. Nunc secundo sollicitè nos investigare conveniat, ne auro purissimo Scripturarum prava intentio coapta metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino Salvatore astutissimus diabolus, velut homini puro et simplici tentavit imponere, æstimans eum unum esse de cæteris sanctis. Et illa quæ generaliter sunt super omnium justorum intelligenda personis, malevola interpretatione corrumpens, specialiter Domino Jesu Christo, qui angelorum custodia non egebat, conatur aptare, dicens: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Pretiosa scilicet eloquia Scripturarum callida assumptione convertens, et Christum Filium unum ex cæteris hominibus existimat, quem hominem videt: et ea quæ pro sanctis intelligenda sunt ad contrarium sensum noxiumque detorquens, ut imaginem tyrannici vultus sub colore auri fallentis nobis objiciat. Nullus ergo Christo comparetur, quamvis sanctitate præfulgeat, cum audit quod *Filius hominis* dicitur: nec illo sensu diaboli eum unum de filiis hominum æstimet, de quibus scriptum est: *Filii hominum in protectione alarum tuarum sperabunt.*

LVI. Sed multi hæretici in Ecclesia prodierunt qui *mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum*, purum hominem creatum dicerent, sed ex gratia deificatum, tantumque ei sanctitatis tribuerint, quantum de sanctis cæteris, ejus videlicet famulis, agnovissent. Quod beatus Job prophetix spi-

ritu afflatus sententiæ suæ definitione redarguit, dicens : *Non adæquabitur ei topadium de Æthiopia* (Job xxviii, 19). Quid Æthiopia? nisi præsentem mundum accipiemus, quæ coloris nigredine designat peccatorem populum fœditate meritorum. De quo Propheta dicit : *Æthiopia præveniet dare manus Dei* (Psal. lxxviii, 3). Id est, priusquam Judæa credat salvandam se, offeret omnipotenti Domino se peccatis nigra gentilitas. *Topadium* vero pretiosus lapis est. (Et quia Græca lingua, *pan*, omne dicitur, pro eo quod est omni loco resplendet, *topadium*, quasi *topazium* vocatur.) Dum vero in Deum conversa gentilitas credit ex ea, ita multi sunt dono Spiritus locupletati, ut quia sicut multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed non acceptis quisquam virtutibus extollatur, a sancto viro nunc dicitur : *Non adæquabitur ei topadium de Æthiopia*. Ac si aperte diceretur : Nullus sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, tamen de nigredine mundi collectus, æquari potest ei de quo dictum est. Quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea*. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Hinc se sapientiæ quasi quoddam topadium de Æthiopia æquari voluit, cum quidam hæresiarcha dixit : « Christo Deo factio ; si volo, et ipse possum fieri. » Et ille se æquari voluit, qui simili sensu de eo dixit : « Et ille Christus, et nos christi. Et ille adoptivus, et nos adoptivi. Et ille parvulus, et nos parvuli. Et ille servus, et nos servi. » Qui Jesum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putavit ; perversa alligatione astruens cum purum hominem natum, sed ut Deus esset per meritum profecisse, atque ab hoc existimans et se et quoslibet illos ei posse coæquari qui filii Dei per gratiam fiant ; non adhuc intelligens, non attendens, quod *non adæquabitur ei topadium de Æthiopia*. Aliud est enim natos homines per gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptum processisse. Neque æquari potest gloria Unigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. *Mediator* quippe *Dei atque hominum homo Christus Jesus*. Non, sicut iste hæreticus decipit, aliter in humanitate, aliter in deitate est. Non purus homo conceptus atque editus, post meritum, ut Deus esset, accepit : sed nuntiante angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. Et manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre et Spiritu sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera, ubi et impassibilis pati, et immortalis mori, et æternus ante sæcula temporalis posset in fine sæculorum ostendi. Ut per ineffabile sacramentum conceptus, sancto partu inviolabili, eundem veritatem utriusque naturæ, eadem virgo et ancilla Domini esset et mater. Sic

• Est Pauli Samosatani sententia aientis : « Non invideo Christo Deo factio. »

A quippe ei ab Elisabeth dicitur : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Et ipsa virgo concipiens dicit : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum*. Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine ; non tamen alius ex Patre est, alius ex Virgine : sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est. Ipse *speciosus forma præ filiis hominum* per divinitatem ; et ipse est de quo dictum est : *Vidimus eum, et non erat aspectus : et non est species ei, nec decor*. Per divinitatem ipse ante sæcula de Patre sine matre, ipse in fine sæculorum de matre sine Patre : ipse conditoris templum, ipse conditor templi. Ipse auctor operis, ipse opus auctoris ; manens unus ex utraque et in utraque natura. Nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.

LVII. Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad ea quæ supra diximus, exponendi ordine redeamus : quod nullus ei hominum, in quo homo est, similis habeatur. Notandum nobis est quod sanctus Job, ut longe distare a Christo angelos demonstraret, dixit : *Non dabitur aurum obrysum pro ea* (Job xxvii, 15), id est, pro ea sapientia quæ Christus est. Quia ut et antiquos etiam Patres sacri eloquii tractatores inferiores Christi ostenderet, adjunxit : *Nec appendetur argentum in commutatione ejus* (Ibid.) ; et ut philosophorum quodque sapientiam Christo monstraret longe subesse, intulit dicens : *Non conferetur inertis Indiæ coloribus* (Ibid. vers. 16). Atque subiunxit : *Nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro*. Et ut in illa quoque superna civitate Jerusalem nullum pervenire ad æqualitatem Unigeniti demonstraret, addidit : *Nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum* (Ibid. vers. 17). Et ut prophetas Christo subesse ostenderet, adjunxit : *Nec commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa eminentia : nec commemorabuntur comparatione ejus. Trahitur enim sapientia de oculis* (Ibid. vers. 18).

LVIII. Ad extremum vero ut ipsos quoque in Ecclesia hæreticos increparet, qui fidem quam percipiunt per superbiam scindunt, addidit : *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia* (Ibid. vers. 19). Ac si patenter insinuet, dicens : Hi qui in peccatis concepti, et in peccatis nati, ad conversionem veniunt, æquari homini Deo non possunt, quamvis multis colorum virtutibus resplendere videantur. Quorum ut superbia refutetur, apte subjungitur : *Nec tincturæ mundissimæ componetur* (Ibid.). Tincturæ enim mundissimæ vocantur hi qui veraciter sunt humiles et veraciter sancti. Qui sciunt quidem quia ex semetipsis virtutum speciem non habent, sed hanc ex dono gratiæ supervenientis terent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimæ tincturæ sunt, quia humiliter custodiunt supervenientem in se virtutum gratiam quam acceperunt. Hinc est enim quod Sponsi voce de sancta Ecclesia dicitur : *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* (Cant. 17,

6.) Quia enim sancta Ecclesia cœlestem vitam naturaliter non habet, sed superveniente Spiritu pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur. Et notandum quod superius cum dixisset: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, eosdem colores non intulit mundos.* Hoc vero in loco, ut tincturam veracium virtutum servorum Dei ab illa hæreticorum philosophorum factione segregaret, *tincturas et mundissimas* dicens. Tincturæ enim recte nominantur mundissimæ hi qui prius per prava operæ fœdi fuerunt; superveniente Spiritu nitore gratiæ vestiuntur, ut longe aliud appareant esse quam erant. Unde etiam baptisma tinctio dicitur, id est, ipsa nostra in aquam descensio. Tingimur quippe ut qui prius indecori eramus deformitate vitiorum, accepta fide reddamur pulchri gratia et ornamento virtutum.

LIX. Hoc totum quare dicimus? nisi ut nemo se præsumat Christianorum Christo comparari, ut Elipandus facit, qui dicit: « Et ille Christus, et nos christi: et ille servus, et nos servi. » Quem audit in Scripturis eum hominem nominare, qui propter dispensationem redemptionis nostræ factus est Deus homo, ex sermone David secundum carnem: nullam differentiam ponit inter Deum hominem, qui est Deus essentialis super omnia, et deos nuncupativos non essentielles deos super omnia, sed tantum intra omnia. Certe dictus: « Ille homo, et nos homines. Ille Deus, et nos dii. Ille filius, et nos filii. Ille Christus, et nos christi. Ille servus, et nos servi. Ille parvulus, et nos parvuli. » Sed non secundum eandem rationem unus ex nobis intelligendus est, quia ille singulariter dictus, et nos pluraliter. Nam cum ille in Scripturis legitur, nos consequenter intelligimus ipsum esse Deum verum, et solum *ex semine David secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Cum vero in Scripturis Deus dicitur, singulariter dicitur, non pluraliter, sicut multi dii, aut multi domini. Quia Deus essentialis nomen est. Sed nos cum Deum legimus in Scripturis, consequenter hominem intelligimus ipsam Deum esse natum de Virgine, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Quia Deus est genitus de ingenito Patre Deo: ac per hoc segregamus eum de cæteris multis hominibus, qui dii dicuntur pluraliter, et homines pluraliter. Nam iste homo singulariter Deus est. Si nominas hominem, Deus est verus. Quemadmodum si ponas ante oculos quemlibet hominem, et nominas eum carnem, ipse tamen et anima est. Si nominas animam, ipse vero et caro est: et ex utroque, id est anima et carne quæ constat homo, una persona est: et unum illi nomen est, carnis et animæ, ut puta, Petrus. Et cum sapienter loquitur ipse, caro ejus videtur: sapientia ejus tantum auditur, non videtur. Et tamen ipsa sapientia in anima est, quæ per carnem foris auditur. Sic et Christus: caro ejus videbatur, et divinitas ejus non videbatur. Et sapientia ejus, quæ per carnem foris videbatur, de divinitate ejus erat apparatu.

LX. Homo ex duabus substantiis una persona est,

et habet nomen Petrus. Et Christus ex tribus substantiis, duabus naturis una persona est, et habet nomen Christus. Mortuus est Petrus in sola carne, non anima. Anima ascendit ad cœlum, corpus Romæ quiescit in tumulo: et tamen Petrus quiescit in tumulo mortuus, et ipse Petrus in cœlo cum Christo est vivus. Et sola caro mortua Petrus, et sola anima viva Petrus. Et ex utroque non duo Petri, sed unus est Petrus. Sic et Christus tres habet substantias: una æterna, quæ cum Patre est illi æqualis, id est, immortalis, sicut Pater: incommutabilis, sicut Pater; invisibilis, sicut Pater; inlocalis, sicut Pater; impassibilis, sicut Pater. Duas vero substantias habet temporales, quæ de nostro sunt, id est, animam rationalem et carnem. De nostro habet æternus, unde temporalis est. De nostro habet Deus, unde homo est. De nostro invisibilis, unde visibilis est. De nostro inlocalis, unde localis est. De nostro immortalis, unde mortalis est. Ac per hoc agit æternus temporaliter, crescit perpetuus, videtur inlocalis, patitur impassibilis, moritur immortalis, qui totus absque mendacio unicus est Dei Patris. Quamobrem et sola caro mortua quæ in sepulcro jacuit, Christus Filius Dei est. Et sola anima quæ ad inferna descendit, Christus Filius Dei est. Et Verbum Patris, qui semper æqualis existit Patris, Christus Filius Dei est. Hæc tria non tres Christi filii Dei sunt, sed unus Christus Filius Dei est. Sicut illa duo quæ supra diximus, non duo Petri, sed unus Petrus est, ita hæc tria unus Christus. Agit persona quæque substantia totum una persona. Naturale est illi venire in hoc mundo solus *minoratus paulo minus ab angelis.* Naturale est illi ubique esse cum Patre. Naturale est illi localis esse solus Filius. Naturale est illi invisibilis esse cum Patre. Naturale est illi invisibiliter esse solus Filius. Naturale est illi impassibilis esse cum Patre. Naturale est illi solus Filius subditus passioni. Naturale est illi immortalis esse cum Patre. Naturale est illi solus Filius mori. Solum Filium dico mori, quia solus Filius se exinanivit. Exinanitio ejus, adventus ejus est. Adventus ejus, humanitas ejus est: quæ humanitas caro ejus est et anima, id est, totus homo perfectus est. Et ipse homo Filius Dei, Deus est. Et solus Filius est homo, qui cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus. Non cum Patre et Spiritu Sancto unus est homo, sed cum tota Ecclesia unus est homo, quia caput et corpus una persona est Christus.

LXI. Ergo nemo dicat: « Et ille Christus, et nos christi. » Et nos unde dicimur christi, nisi a Christo? A Christo Christiani, sicut ab Heber Hebræi. Sicut a Jacob, qui dictus est Israel, Israelitæ. Sicut a Juda Judæi. Quia omnis, qui novum nomen accipit, a male [Forte, a meliori se] se nomen accipit. Ut puta, *Vuitisami* rex fuit: sed multi hodie ab ipso nomen sumunt *Vuitisami*, etiam pauperes, ut per nomen agnoscatur quod de stirpe regia est, qui et ipse rex potuerat esse, si nomen fecisset regem. Sic Christianus non est inde christus unde nomen sibi imponit Christianum. Quod si nomen Christianum fecisset christum, tam boni

Christiani quam etiam mali christi dicerentur. Non est Christianus qui recte non credit Christum. Non est christus, id est unctus, qui Christi non accipit Spiritum, qui doceat eum quod Jesus est Filius Dei. Non est Ecclesia ubi non est fides vera. *Justus autem ex fide vivit.* Ergo qui fidem veram non habet, non vivit, sed mortuus est: non poterit stare, quia mortuus jacet. Et qui mortuus est, Deo vivo servire non potest. Non de illis servus est, de quibus Propheta dicit: *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atris domus Dei nostri.* Ut secundum quod ait Apostolus: *Donec, inquit, venimus: ut scias quomodo disponas domum Dei, quæ est Ecclesia.*

LXII. Ecclesia non parietibus, non lapidibus consistit, sed dogmatum veritate. Sed quia et ipsa visibilis domus, quæ basilica dicitur, quæ Latino sermone regis domus nuncupatur, non ædificatur nisi lapidibus quadratis: et lapis portando lapidem, in alto erigitur, quousque perficiatur domus: de foris ponuntur lapides majores dolati, et intus lapilli qualescunque minutissimi. Quid significant hi lapides majores qui unus alterum portat, nisi hos qui in una fide sectarunt, et unus alteri onera portando, crescit in altum in charitate una domus Ecclesiæ? Et sic perlicitur lex Christi. Lapilli vero minutissimi hi sunt qui ab ipsis foventur fragiles et mente parvuli. Hoc totum per fidem et charitatem fit. Nam sine charitate fides nihil prodest. Nam si prodesset, ut sola fides sine charitate salvaret, poterant et dæmones salvi esse, quia, secundum Jacobum: *Dæmones credunt, et contremiscunt;* sed tamen non diligunt. Qui habet charitatem et fidem, discipulus est Christi. Et qui non habet charitatem et fidem, discipulus est Antichristi, et persequitur Ecclesiam, id est servos Christi. Quia unde Christum nescit, inde membra ejus non cognoscit, et semper discipulus Antichristi fuit. Quia qualiter manifestaretur, occasionem prædicationis non habuit. Quia catholici et hæretici in prædicatione manifestantur. Catholici semper catholici sunt, quia semper simplices et recti corde sunt; et bona sua semper celare quærunt et mala publicare, ut tales ab hominibus esse credantur intus quales foris videntur. Sed non manifestantur in pace, nisi postquam surrexerit pugna perfidiæ, ut Propheta ait: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declarabit (Psal. xli, 9).* Dies aliquando in Scripturis sacris pro prosperitate ponitur, nox vero pro tribulatione persecutionis. Tunc servi Dei declarantur per fidem, cum hæretici cœperint hæreses prædicare. Et inde Apostolus ait: *Oportet hæreses, intra Ecclesiam, esse, ut probati manifesti fiant.* Tunc catholici manifesti probantur, cum ab eis vera fides defenditur.

LXIII. Quid est catholicus? Qui nunquam fuit hæreticus. Hæreticus tamen a parva infantia nunquam fuit catholicus, quia nunquam fuit purus: sed sub nomine sanctitatis erat hypocrita religiosus.

• Forte, ac vanæ gloriæ serviens.

Desiderabat enim coram hominibus sanctus videri, non esse. Non tunc dicebatur hæreticus, sed hypocrita, quia adhuc intus videbatur in Ecclesia. Cum vero cœperit discipulis prædicare, et eos ad suam perversam fidem instruere, apparet hæreticus. Tunc folium cognoscitur quod diu in terra cordis latuerat in semine. Et quia, ut dicimus, semper hypocrita vixit, et laus humana eum pavit; cum a catholicis fuerit reprehensus, surgit in superbia, despectui habet petiisse veniam; requirit laudatores suos plusquam maxime sæculares, ut cum eis suam vindicet perversam doctrinam. Et postquam maximam turbam imperitorum deceperit, dirigit per diversas provincias epistolas suas, ut quos potuerit inopinatos primus ad suam fidem inflectere, videatur quasi cum omni Ecclesia recta sentire. Qui omnes decepti filii ejus sunt non legitimi, sed adulterino verbo eos generavit. Quod si adulterinum non fuisset, apostolus Paulus ad Corinthios non scripsisset: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate: sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* Adulter quippe in carnali coitu non accipit uxorem unde filios habeat, sed per diversas feminas adulterando, non filios sed voluptatem quærunt: ita et hæreticus et perversus quisque aquam ecclesiæ serviens*, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios generare, sed suam scientiam desiderat ostendere. Cum enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Adulterare namque est verbum Dei, aut aliter de illo sentire quam est, aut non spirituales fructus, sed adulterinos quærere laudis humanæ, quia sinceriter non loquitur. Ex sinceritate vero loqui, est nihil in eloquium quam oporteat, quærere, sed hoc tantum quod a Deo institutum est. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse, quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omne quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiam intendit; non suam, sed Auctoris gloriam requirit.

LXIV. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, et tamen dicendo propriam gloriam acquirit, sicut *ex Deo loquitur*, et non *coram Deo* (II Cor. ii, 17), quia eum, quem cordi suo non proponit cum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur et coram Deo, quia et ab eo sese sciunt habere quod dicunt, et ipsum suis sermonibus adesse iudicem auctoremque considerant. Unde fit ut cum se a proximis despici agnoscunt, suaque vita dicta audientium vitæ non prodesse, abscondunt quantæ virtutis sunt, ne si secretum cordis inutiliter sermo probatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat. Ab his nunc detrahatur Ecclesia, quia non cognoscit. De quibus Dominus in Evangelio dixit: *Si me persecuti sunt, et vos persecuentur.* Et alio loco: *Si in viridi hoc fiet, quid in arido?* Sed quia hoc fumus est, non adhuc ipse ignis

ostenditur. Veniet tempus, quando catholicam Ecclesiam non solum injustis vocibus, sed etiam crudelibus plagis persequuntur. Ab adversariis namque suis duobus modis Ecclesia persecutionem patitur, scilicet aut verbis aut gladiis. Sed cum verbis persecutionem sustinet, ostenditur servorum Dei patientia. Cum vero gladiis, ostenditur eorum patientia. Sed verborum persecutiones ab hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipsi hæretici nobis subdola et falsa humilitate blandiuntur. Persecutiones vero gladiatorum juxta finem mundi secururæ sunt. Grana cœlestibus horreis recondenda tanto verius a peccatorum paleis exuuntur, quanto arctius affliguntur. Tunc cœlestes omnes qui in illa fuerint tribulatione comprehensi, recordabuntur justum tempus in quo nunc Ecclesia fidei pacem tenet et superba hæreticorum colla calcat, non potentatu culminis, sed jugo rationis.

LXV. Hæreticus tamen Scripturarum non facit rationem, sed cum potentibus sæculi Ecclesiam vincere quærit. Sed veritas fatigari potest, vinci non potest. In mentem habebunt servi Dei tunc in illo igne persecutionis Antichristi, qui nunc in fumo ipsius ignis, quod sunt hæretici, in fide Patrum fuerint plantati. De quo fumo et igne in Apocalypsi dicitur: *Et quintus angelus tuba cecinit. Et vidi stellam cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi. Et ascendit fumus de puteo: quasi fumus magnæ fornacis, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei. Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram: et data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ* (Apoc. ix, 1-3). Stella, quam dicit de cœlo cecidisse in terram, prædicatores sunt hæretici qui exeunt de Ecclesia. Cœlum hoc loco Ecclesia dicitur. Et quia hypocritæ erunt et sanctitatem simulabunt, stella nominantur. Et quia inter se in prædicatione unum sensum habere non possunt, sed omnes contra unam Ecclesiam Dei conspirant, una stella dicitur, quæ multæ sunt. De quibus stellis per Job dicitur: *Obscurentur stellæ caligine ejus.* Id est hæretici, qui erunt hypocritæ; et ante humanos oculos quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura prævaleat: et hoc, quod ante humana judicia fulgebat, lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obscurantur, cum eorum prava doctrina aperto errore confunditur: ut sine dubio tales etiam foris in actione appareant, quales apud semetipsos intus divino parere judicio non formidant.

LXVI. *Et data est ei clavis putei abyssi.* Abyssum dicimus puteum, ubi solis lumen non spargitur. Abyssus est secreta cordis eorum, ut quidquid intus lateat minime cognoscatur, nisi per januam linguæ manifestetur, ut ab omnibus catholicis cognoscatur. Clavis putei abyssi est ipsa manifestatio. *Et aperuit puteum abyssi,* id est, manifestavit cor suum, et sine ulla verecundia contra Ecclesiam in superbiâ surgit, et prædicationem Ecclesiæ contemnit, et obscurat ita, ut dicatur: Non est sic,

A sicut isti dicunt, sed sicut nos. *Et obscuratus est sol, et aer de fumo putei.* Sol et aer Ecclesia est, de qua dictum est: *Electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Obscuratur sol de fumo putei, quando hi qui de Ecclesia recedunt, hæreticos defendunt. *Sicut fumus,* inquit, *magnæ fornacis.* Fumus enim ignem præit. Et quid est ignis, nisi homo peccati, filius perditionis, Antichristus? Et quid fumus, nisi hi ministri hæretici? Quia antequam ignis appareat, fumus tenebrarum ejus mentes infirmorum hominum cæcat. Sed nunc ex ipso fumo jam aperte foris aliquid videmus exire, cum dixit: *Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram.* Locustæ quid sunt, nisi multitudo populi? Ipsi dicuntur locustæ, ipsi et terra. Locustæ pro mobilitate levitatis accipiendæ sunt, tanquam vagæ et salientes animæ in hujus sæculi voluptates. *In terram exierunt,* quia terrena sapiunt, non cœlestia. Semper enim hæretici sæculi securitatem promittunt, et inde terrena sapiunt. Ecclesia vero nulli securitatem promittit, cui caput viam amaritudinis ostendit, qui præcessit. Proinde cœlum dicitur, quia cœlestia sapit, non quæ terrena sunt, secundum Apostolum qui dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Non sicut peccatori dictum est: *Terra es, et in terram ibis.* Quod cœlum Ecclesia est. Propheeta attestante, qui ait: *In æternum, Domine, permanet Verbum tuum in cœlo,* id est in Ecclesia: in qua permanet Verbum Patris, quia non perambulat, non pertransit, sed permanet et habitat. Qui Verbum caro factum Jesus Christus Filius Dei unicus, et virginis Mariæ est. Unde nunc intentio est. Et quia ex utraque substantia unicus Dei Patris est. *Et lex et Evangelium* duo ejus testamenta sunt, cum legitur, et ab omnibus pene auditur, et ab omnibus Christus laudatur, et diversa de Christo sentitur. Et hoc dicunt esse de Christo quod Christus non est. Ipse enim se sequentibus dixit: *Qui manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo.* Et alio loco dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in æternum; sed habebit vitam æternam.* Et cum dicit: *Nisi granum tritici ceciderit in terram, ipsum solum manet.* *Sic autem ipse ceciderit, multos salvos faciet.* Hoc totum, id est, caro et sanguis, et panis de cœlo, et granum tritici unum est, et unus panis est. Et hunc panem manducat Ecclesia. Sed quia diversi diversa sapiunt, diversos sapes habet cum comeditur. Dominus noster Jesus Christus granum tritici in terram condidit, et nos multiplicavit. Sed istud granum frumenti pinguisimum est; medullam habet, adipem habet, pinguedinem habet, habet intus quod quæras. Medullam quæres, quæ pinguis est, *et adipe frumenti satiat te.* Felix est qui in frumento isto adipem intelligit, medullam intuetur. Legamus sanctas Scripturas. Quid est aliud, nisi corpus? Quod lingua legitur, quod syllabis comprehen-

ditur, quod auribus insonat, auditur ab hominibus, **A** hoc totum corpus est. Hoc totum liber est. Intellectus vero hujus lectionis medulla est, pinguedo est, adeps est. Et nisi intellexeris quid sit in littera, adipem frumenti non manducas. Litteram in superficie legis, et adipem frumenti non intelligis. Rodes corticem, et folium, sicut Judæus, mandis. Quid est hæc littera quam in Evangelio legis vel in cæteris Scripturis sanctis, nisi corpus Christi, nisi caro Christi, quæ ab omnibus Christianis comeditur? et tunc comeditur, quando legitur, et quando auditur. Et omnes uno nomine Christiani dicuntur qui Evangelium recipiunt, et uno ore Christum laudant, et crucis ejus signum in fronte portant; et tamen cibo, vel potu, in sella, lecto, ingressu, regressu, et cætera omnia signo crucis muniunt; et se a Christo custodiri, et **B** salvari petunt, et dicunt: *Salva nos, Jesu Christe, Fili Dei*. Et ipsi in Ecclesia sacerdotes et levitæ, si cuilibet transeunti viam, ingredienti in ecclesiam, orationem vel benedictionem dederint, cum compleverint orationem, absolvunt et dicunt: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, eamus cum pace*. Et si in domo oraverit, ita dicit, si in via similiter; si in vespertinis lucernarium ante altare obtulerit, non potest aliter offerri, nisi dixerit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, lumen cum pace*. Sic etiam completo officio non potest egredi sine hac solutione, nisi prius dixerit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, eamus cum pace*. Sic in vespertinis, sic in matutinis, sic omnibus horis, quibus necessaria officia, vel canonica in ecclesia peraguntur. Sic in missa non solum Dominicis diebus, sed etiam quibuscunque festivitatis, ^a *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus*, conclamamus. Sic cum Evangelium a levita super altare levatur, a levita primum dicitur: *Laus tibi*, et ab omnibus respondetur: *Laus tibi, Domine Jesu Christe, Rex æternæ gloriæ*. Præcedente Evangelium cereorum lumine in signo gaudii et lætitiæ, eo quod tale nuntium diaconus, id est, Evangelium Domini nostri Jesu Christi, clara voce populo habet intonare. Tunc silentium omnibus imperat, et dicit: *Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum*, aut quemlibet ex tribus. Respondetur ab omni populo: *Gloria tibi, Domine*. In illo tempore Dominus noster Jesus Christus ambulavit, aut dixit, aut fecit illud et illud quod sequitur. Quo peracto, offertur sacrificium super altare: quæ totum Jesus Christus Filius Dei est. Ipse cum Patre et Spiritu sancto creator omnium Deus. Ipse solus secundum formam servi sua, et Patris et Spiritus sancti operatione formatus. Quod creator est, commune habens naturaliter cum Patre et Spiritu sancto. Quod autem creatus est, solus habens personaliter in seipso cujus et nativitatem futuram secundum carnem, et mortem, et resurrectionem, atque in cælos ascensionem lex et prophetæ pronuntiare nunquam cessaverunt, prout ipse præsciebat et verbis et factis. Nam et in sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa san-

^a De usu hujus doxologiæ consule Sacramentarium sancti Gregorii.

cta Trinitas, quæ unus est Deus, Novi et Veteris Testamenti a patribus nostris præsciebat offerri sacrificiis, Jesu Christi Filii sui significabatur gratissimum munus, quo pro nobis seipsum solus Dei Filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim, secundum Apostoli dictum, *obtulit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ipse verus Deus et verus pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum et hircorum, sed in sanguine suo *semel introivit in sancta*. Quod tunc pontifex ille significabat, qui semel Sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se uno totum exhibuit, quod sciebat necessarium esse ad redemptionis nostræ effectum. Ipse scilicet sacerdos et sacrificium. Ipse Deus et templum. Sacerdos est ipse Christus, per quem sursum reconciliati. Deus est ipse Christus, qui nos reconciliat sibi et Patri, et Spiritui sancto. Solus tamen sacerdos sacrificium et templum, qui hæc omnia Deus est secundum formam servi; non autem solus Deus, quia hoc cum Patre et Spiritu sancto secundum formam Dei.

LXVII. Reconciliati igitur sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. Neque potest hoc sacrificium offerri per quemlibet sacerdotem; nisi per sacerdotem sanctum et justum. Neque potest hoc sacrificium quod offertur, a quibuscunque comedere et bibere, nisi tantum ab ipsis pro quibus offertur: ut et sacerdos qui offert sine vitio sit, et ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certe omnes desiderant et cupiunt, qui pro se offerre sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus et sanctus sacerdos, quam unicus Filius? Non quia opus vita, adducuntur. Et quid tam amabiliter et acceptabiliter ab omnibus sumetur quod pro eis offertur, quam Christi humana caro? et quid tam acceptum et aptum immolationi, quam caro Christi mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis et peccatis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi possit, quam caro sacrificii nostri, corpus Christi perfectum sacerdotis nostri?

LXVIII. Et quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, id est, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, hoc totum ipse unus versusque mediator Christus per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, et fecit unum cum illo manere cui offerebat. Unum in se facere, pro quibus offerebat. Panis hic, qui offertur super altare, ut supra jam diximus, corpus Christi de illo grano tritici quod cecidit in terram et mortuum est. Et de illo grano multa nata sunt grana, quod est Ecclesia, et nos, Deo miserante, inde sumus: tamen si seminemus spirituales, et renascemur de Deo Patre et Ecclesia matre: De quibus evangelista dixit: *Qui non ex sanguinibus neque ex voluptate carnis, neque ex voluptate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1, 13). Illum panem,

quod corpus est Christi, lignum crucis coxit, erimus cum eo unus panis. Si et nos ipsa crux coxerit, erimus ejus corpus. Qui non manducat hunc panem, quod est corpus Christi, vivere non potest. Sicut nec ille vivere potest in carne, qui hunc panem corporalem non prandet, sicut ipse ait : *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi; si quis ex ipso manducaverit, vivet in aeternum* (Joan. vi, 51). Vinum quod offertur super altare, sanguis Christi est, de illa vite vera quæ dixit : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola*. Apostolus dixit : *Vos vero palmites*. Palmites vero potantur et purgantur, ex ipsis gignuntur acini, id est sancti, qui de doctrina nascuntur apostolorum. Unusquisque acinus pendens de palmitate, unusquisque servus Dei est, tam monachus quam laicus. Grana acini virtutes ejus sunt, id est, charitas, castitas, humilitas, veritas, obedientia, jejuniun, eleemosyna, oratio, vigilia, lingua benevola, mansuetudo, patientia, et cætera quæ ad virtutum opera pertinent : et multorum granorum majorem facit acinum, cum multa habuerit in se dona virtutum.

LXIX. Vitis vero, ut diximus, Christus est, et Pater agricola. Solus Christus vitis est. Solus Pater agricola non est, quia communis est operatio Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Christus, in quo æqualis est Patri, agricola est cum Patre. In quo minor Patre, vitis est vera. Et quare dixit *vitem veram*? Quia sunt vites silvaticæ, sunt vites agrestes, quorum non est Pater agricola, quos nemo claudet, nemo putat, nemo purgat. De quibus ipse Dominus ait : *Et Pater meus purgabit eum, ut plus fructus afferat*. Non est de ipsis vitibus, sed illius vitis est quam *expectavit, ut faceret uvas, fecit autem labruscas*. De qua propheta dicit : *Uva eorum, uva fellis*. Et de qua Dominus loquitur ad Jerusalem : *Ego te plantavi vineam veram; quomodo mutata es in amaritudine vitis alienæ? Amara vitis amarum vinum facit, quæ propinat Dominum nostrum Jesum Christum*. Ut impleatur quod scriptum est : *Et dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto*. De quo vino dum *gustasset, noluit bibere*.

LXX. Hoc totum quid est, nisi tunc Judæa in lege, quæ non cognovit Filium Dei per legem, sed negavit et crucifixit? Nunc in Ecclesia hæretica pravitas, qui non cognoscit Filium Dei per Evangelium : sed eum hominem similem dicit esse hominibus, et membra ejus, quod est Ecclesia, non cognoscit, sed quotidie crucifixit. Sed quia de vite falsa tractanda a vera vite sententiam elongavimus, ad nostram vitem veram, et ad nostrum granum tritici, sine quo vivere non possumus, redeamus.

LXXI. Et hunc panem vivum, qui in Christi frangitur mensa, manducamus, et sorbendo parvuli deglutiamus, dum ad solidum cibum quandoque veniamus : ut Patrem, cujus filii per gratiam sumus, ipso fovente, cognoscere valeamus. Hic panis et vinum,

* Fit nobis, hoc est, ut *habitet in nobis*, qui jam per sacerdotis benedictionem factus est sanguis et corpus, ut subisset symbolis panis et vini. Hic sen-

cum comeditur et bibitur, * fit corpus et sanguis Verbi. Ita enim Dominus, qui *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; propter misericordiam suam : qui non contempsit quod creavit, in transformationem suam *caro factus est, et habitavit in nobis*; sicut scitis quia ipsum Verbum assumpsit hominem, id est, animam rationalem et carnem hominis, et homo factus est manendo Deus. Propter hoc quia factus est homo pro nobis, commendavit nobis isto sacramento corpus et sanguinem suum, quod etiam fecit et nos ipsos. Et nos corpus ipsius facti sumus per misericordiam ipsius, quod accepimus, nostrumque corpus Christi accipimus, et audi quid dicit : *quia ipsum corpus nos sumus*. Et verum est, quia unum triticum est : et unum semen grani multa grana molita, una farina est. Et una farina conspersa et-cocta unus panis est. Recordamini quid fuit creatura ista in agro. Quomodo eam terra peperit, pluvia nutrit, ad spicam perduxit, deinde labor humanus ad aream portavit, triturravit, ventilavit, et recondidit, portavit, moluit, et coxit, et vix aliquando ad panem perduxit. Hoc totum vos estis. Recordamini et vos quia non fuistis, et creati estis, et aream Dominicam composuistis laboribus boum, id est nuntiantes Evangelium triturati, quando catechumeni dicebamini, in horreo servabamini, nomina vestra dedistis, cepistis moli jejuniis et exorcismis. Postea ad aquam venistis, conspersi estis, et unus panis facti estis.

LXXII. Accedente vero favore Spiritus sancti, in una dilectione charitatis, in una fide et in spe cocti estis, panis Dominicus facti estis : sicut et iste panis, qui super altare sacratus est, qui corpus Christi est ; et ex multis granis unus panis, et unus cibus noster est, et in membris nostris trajicitur : sic et nos cum in una spe, fide et charitate fuerimus, cibus Domini sumus, et in membris ejus transformamur. Ecce Eucharistiam, id est bonam gratiam, quam accepistis, oculis vestris vidistis. Quomodo de multis granis factum est unum, sic unum estote et vos, diligendo, gemendo unam fidem, unam spem, indivisam charitatem : quia illi qui mali sunt non quærunt nisi divisionem, hæreticus non quærit nisi separationem, et hoc elaborat ut scindat, et non sarciat ; ut rumpat, non jungat. Separat Verbum a carne, et seorsum prædicat Deum, et seorsum hominem. Separat caput a corpore, seorsum prædicat caput, et seorsum corpus ; et nescit, infelix, quia Deus et homo unus est Christus, et caput Ecclesiæ suæ, in quo homo et Christus : et caput Christi Deus est, id est, tota divinitas caput est hominis, quem solus suscepit Filius. Et homo Filius est caput Ecclesiæ suæ, quæ illi capiti conjungitur, et fit totus Christus, id est, caput et corpus una persona. Non sunt hæretici cibus Domini. Non enim de illis dixit Dominus : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me*.

sus ex iis quæ subnectuntur satis liquet. Confer § 75, infra.

et perficiam opus ejus. Opus ejus est ex multis granis unum panem, id est, ex multis animabus unam animam in una charitate, in una fide et in una spe ^a. Nam si animæ quas in una fide congregat, cibus Dei non esset, non diceret discipulis suis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quod tunc completum est, quia multi in eum crediderunt Samaritani, et mulieri dicebant: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim vidimus, et scimus quare hic est vere Salvator mundi.* Sicut enim panis iste ex multis granis indicat unitatem, sic et vinum ex multis acinis, quæ effluxit eodem, et in unum est totum, et unum efficit potum, et in sua vita et de uno calice sumitur, sed tamen post pressuram torcularis. Nam ante torcular, unum dici non potest, nec bibi, quia adhuc divisum videtur in acinis: sicut nec grana, nisi excutiantur a paleis. Nam persecutores nostri ipsi excutiant paleam, cum ab ipsis tritoramur. Ipsi facem uvæ, cum ab ipsis torquemur. Genu flexo debemus pro eis orare a quibus effeimus cibus Dei. Sicut vinum post torcular mittitur in calicem, sic et vos post illa jejunia, post laborem, et humilitatem, et contritionem jam in nomine Christi tanquam in calicem Domini venistis. Et panis ibi vos estis in mensam, et vinum ibi vos estis in calicem. Nobiscum hoc estis quod sumus. Simul enim hoc sumus quod estis. Et unus calix est, in quo sumus, quia una passio est Christi et una mors, qua omnes redempti sumus. Simul bibimus, cum simul non vivimus.

LXXIII. ^b Ordo autem missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primo a sancto Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis. Quæ prima oratio ejusdem missæ admonitionis erga populum est, ut omnes excitentur ad exorandum Deum. Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, sive pro defunctis fidelibus, ut per ipsum sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis et charitatis, ut reconciliati omnes invicem consocientur digne per sacramentum corporis et sanguinis Christi, quia non recipit dissensionem nec divisionem alicujus Christi indivisibile corpus. Quinta deinde infertur illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creaturarum virtutumque celestium angelorum universitas provocatur, et Hosanna in excelsis cantatur, quod Salvatore Filio Dei Domino nostro Jesu Christo de genere David nascente, salus mundi usque ad excelsa pervenerit. Porro sexta proinde succedit confirmatio sacramenti, ut oblatio, quæ Deo offertur sanctificata per Spiritum sanctum, Christi corpori et sanguini confirmetur. Ultima vero oratio Dominica est, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, dicens: *Cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in cælis* (Matth. vi, 9). In qua

^a Videtur deesse facere, aut simile quid.

A oratione, ut Patres scripserunt, septem petitiones continentur; sed in tribus primis æterna poscuntur, in sequentibus quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna acquirenda petuntur. Nam cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra.* Hic inchoantur, sed in illa vita sperantur, ubi sanctificatio Dei, et voluntas, et regnum in sanctis suis immortaliter permanebit. Jam vero panis quotidianus, qui vel animæ vel carni tribuitur, in hoc sæculo exposcitur; hic etiam post subsidium cibi, venia de exemplo fraternæ indulgentiæ postulat. Hic ne in peccati tentationem incidamus, exposcimus. Hic post omnia, ut a malis liberemur, Dei auxilium imploramus. In illo autem sæculo nihil istorum est. Hanc itaque orationem Salvator docuit, in qua et spes continetur fidelium et confessio peccatorum. De qua propheta predicans ait: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hæ sunt autem septem sacrificii orationes commendatæ evangelica doctrina. Cujus numeratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ universitatem, vel propter septiformem gratiæ Spiritum, cujus dono ea quæ inferuntur sanctificantur.

LXXIV. Symbolum autem, quod tempore sacrificii ab omni populo prædicatur, cccxviii sanctorum Patrum collatione apud synodum Nicenam est editum; cujus veræ fidei regula tantis doctrinæ fidei mysteriis præcellit, et de omni parte fidei loquitur, ut nulla pene sit hæresis cujus per singula verba vel sententias non responderit. Omnes enim errores, impietatemque fidei, atque blasphemias calcat. Et ob hoc in universis Ecclesiis pari confessione populo proclamatur. Benedictionem autem dari a sacerdotibus populo, antiqua per Moysen benedictio pandit et comprobat. Quia benedicere populo sub sacramento trini invocationis jubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: *Sic benedices populum meum, et ego benedicam illos. Benedicat te Dominus, et custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, et miseretur tui, et tollat Dominus faciem suam super te, et det tibi pacem.*

LXXV. Sacrificium autem quod a Christianis Deo offertur, ut supra diximus, primus Christus Dominus noster instituit, quando commendavit apostolis corpus et sanguinem suum priusquam traderetur, sicut legitur in Evangelio. *Accipit Jesus, inquit, panem et calicem, et benedicens dedit eis.* Quod quidem sacramentum Melchisedech rex Salem figuratiter in typon corporis et sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium tanti sacrificii imaginarie ipse expressit, præferens similitudinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, sacerdotis æterni, ad quem dicitur: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* (Psal. cix, 4). Hoc ergo sacrificium Christianis celebrare præceptum est, relictis ac finitis Judaicis victimis, quæ in servitute veteris populi celebrare imperata sunt. Hoc itaque fit in

Confer sanctum Isidorum, lib. de Offic. eccles.

nobis quod Dominus nobis ipse fecit : quod manere [Forte, more] ab cœna in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat hoc implere circa vesperum diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet vesperum mundi. Proinde autem non communicaverunt jejuni apostoli, quia necesse erat ut pascha illud typicum ante impleretur et sic denuo ad verum Paschæ sacramentum transiret. Hoc enim in mysterio factum, quod primum discipuli corpus, et sanguinem Domini non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per apostolos, ut in honore tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi. Et ideo per universum orbem mos iste servatur. *Panis enim, quem frangimus, corpus Christi est : quia dixit : Ego sum panis* **B** *virus, qui de cœlo descendi.* Vinum autem sanguis ejus est. Et hoc est quod scriptum est : *Ego sum vitis.* Sed panis, quia corpus confirmat, ideo corpus Christi nuncupatur. Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur. Ilæc autem dum sunt visibilia sanctificata, tamen per Spiritum sanctum in sacramentum divini corporis transeunt.

LXXVI. Proinde autem, ut sanctissimus Cyprianus ait, calix Dominicus ideo vino mistus aqua offertur, quia videmus in aqua populum intelligi. In vino vero ostendit sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua miscetur, Christo populus adunatur; et credentium plebs ei in quem credidit, copulatur et jungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut commistio illa ab invicem non possit separari, sicut nec Ecclesia potest a Christo dividi. Sic autem in sacrificando calicem Domini, offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque sic miscetur, et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale et cœleste perficitur. Sic vero non potest calix Domini nostri Jesu Christi esse aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Domini, nec potest esse vinum solum, aut aqua sola, nisi utrumque ad invicem fuerit copulatum, et panis hujus compage solidatus : quo et ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus; ut quemadmodum grana multa in unum collecta, et commolita, et commista, panem unum faciunt, sic in Christum, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus et adunatus

LXXVII. Dicunt : Semper communicare debet Christianus, nisi aliquo intercedente peccato, corpus Domini quotidie accipiendum. Hunc enim panem dari quotidie nobis, jubente Domino, postulamus, dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione, et devotione, et humilitate suscipiant,

nec confidendo de justitiæ presumptione superbiendo faciant. Cæterum si talia fuerint peccata quæ quasi mortuum ab altari removeant, prius agenda poenitentia est ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. *Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat quo debet agere poenitentiam. Cæterum si tanta non sunt peccata ut excommunicandus quisque judicatur, non se debet a medicina Domini corporis separare, ne dum forte diu abstinens prohibetur, a Christi corpore separetur. Ipse enim vivit, qui corpus Domini semper comederit. Et manifestum est enim eos vivere, qui corpus Domini nostri Jesu Christi attingunt. Unde timendum est ne, dum satis quisque separatur a Christi corpore, alienus maneat a salute, ipso Domino dicente : *Nisi comederitis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (Joan. vi, 54).* Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat.

LXXVIII. Conjugatis autem abstinendum est a coitu plurimis diebus, atque orationi vacare, et sic dein ad Christi corpus accedere. Relegamus Regnoram librum, et inveniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse comedere prius David et pueros ejus, nisi ante interrogaret utrum mundi essent pueri a mulieribus, non utique ab aliena, sed a conjuge. Et nisi eos audisset ab heri et nudius tertius vacasse ab opere conjugali, nunquam panes, quos prius negaverat, concessisset.

LXXIX. Quantum inter propositionis panes et corpus Christi, quanta differentia est inter umbram et corpus, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ipsa quæ exemplari præfigurabantur! Quapropter eligendi sunt aliqui de his quibus prius homo continentius vivat, per quem ad tantum sacramentum dignus accedere possit.

LXXX. Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, ab apostolis traditum est. Hoc enim ubique catholica tenet Ecclesia, per totum orbem terrarum constituta : sicut et a sancto Augustino in libro Enchiridii scribitur : Defunctorum animas sine dubio pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium offertur vel eleemosynæ fiunt : si tamen aliquid sibi quisque meritum præparavit, dum adhuc in corpore viveret, ista prosint quæcumque per illos fiunt, nam non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vite quam quisque gessit in corpore. Nam pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiam si nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio

LXXXI. Hoc totum quare diximus, nisi quia omnes in uno sacrificio Mediatoris reconciliamur? Quia ipse est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Ipse caput corporis Ecclesiae, una persona-

Obinde manducamus corpus ejus et sanguinem ejus bibimus, ut sicut illud in nos invisceratur et trajicitur visibiliter, sic nos in illo transformamur et invisceramur : quia sacramentum est, mysterium est. Quid mysterium, nisi secretam et reconditam habens dispositionem? Sed quis sapiens et quis prudens hæc sine spiritu Dei potest liquido comprehensa tenere, nisi ipse rerum omnium Dominus mysteriorum suorum illuminator petentibus nobis et quærentibus cuncta revelare voluerit, sicut per Isaiam prophetam ait : *Aperiam thesauros invisos et obscuros (Isa. XLV, 5)*. Et iterum evangelico ore admonet, dicens : *Petite, et accipietis : pulsate, et aperietur vobis : quærite, et invenietis*. Quo dicto compellit obliviscentes, et stimulat longa pigritia torpentes, ut nec pigri sint ad requirendum, nec desperati ad inveniendum. *Nihil enim, inquit, occultum quod non manifestetur, aut absconditum quod non reveletur aut sciatur. Omni enim petenti dabitur et pulsanti aperietur, et qui quærit, invenit*. Christus est panis et lac, et nos filii, qui ex ipso pascimur. Nam cum dicimus : *Pater noster, qui es in cælis*, nec soli Patri dicimus, nec soli Filio, nec soli Spiritui sancto, sed toti Trinitati, uni Deo. Et cum dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, petimus ab uno Patre ut det nobis illum panem, id est, cognoscamus Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui dixit : *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi ; si quis ex ipso manducaverit, vivet in æternum*. Et utique ipse cum Patre et Spiritu sancto panis est fortibus, qui dentes habent. Filius vero Dominus noster Jesus Christus, et panis est cum Patre in divinitate fortibus, et ipse solus lac et in carne parvulis. Et hanc carnem manducando parvuli, et hunc sanguinem bibendo, veniunt ad solidum cibum, quod est ipsa Trinitas unus Deus. De hoc lacte Paulus apostolus ad Corinthios scribens ait : *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in fide lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales*.

LXXXII. Primum ergo scire debet Christianus quod ipse Christus crucifixus, quo velut lacte parvulos aluisse dicit Apostolus; ipsa vero caro ejus, in qua facta est vera mors ejus, et vulnera confixi, et sanguis percussi, non eo modo a carnalibus quo a spiritualibus cogitantur. Carnalibus enim, ut diximus, lac est, spiritualibus cibus. Quia etsi spiritualibus [*Fortè, spiritualibus*] non audiunt amplius quam [*Fortè, quam qui*] communiter audiunt Christum, intelligunt amplius de Christo. Non æqualiter mente percipitur etiam quod in fide pariter ab utrisque percipitur. Ita fit ut prædicatus ab apostolis Christus crucifixus, et Judæis esse [esset] scandalum, et gentibus stultitiam [stultitia] : et ipsis vocatis Judæis et Græcis, Dei virtus et Dei sapientia. Sed carnalibus parvulis id tantum credendo perientibus [*Fortè, experientibus*], spiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo videntibus. Illis etiam tanquam

lacteus potus, istis tanquam solidus cibus. Non quia illi carnales aliter in populis cognoverunt Christum, et isti aliter in cubiculis; sed a modo utrique cum palam Christus nominabatur, et audiebant omnes uno modo Christum, sed non omnes uno modo credebant; sed alii credebant, alii despectum habebant talem Deum credere, alii irridebant talem Deum esse.

LXXXIII. Sicut et hodie increduli pagani faciunt, quia Deus factus est homo. Ipsa est humilitas quæ displicet paganis, unde nobis insultant dicentes : *Qualem Deum colitis, qui natus ex muliere est? Qualem Deum colitis, qui ab hominibus comprehensus est, et crucifixus est, et mortuus, et sepultus est? Hoc facit scandalum paganis, hoc Judæis*. Quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid est sapientia, nisi Verbum Patris? nisi Divinitas? nisi Deus? Quid est stultitia, nisi caro ipsius Verbi? nisi humanitas ipsius Divinitatis, nisi homo Christus ab ipsa sapientia susceptus? Sed stultitia dicta est, ut per ipsam stultitiam veniant ad sapientiam, quod est Divinitas, Deus. Sed credentes, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere. Qui sunt credentes qui salvi sunt? Qui credunt quod ipse est verus Dei Filius et verus Deus, et ipse solus est adorandus, quem Judæi comprehenderunt, et crucifixerunt, et occiderunt, et mortuus est. Quia reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, et nunc salvi erimus in vita ipsius. Et ideo gloriemur in Deum per Jesum Christum, per quem reconciliationem accepimus. Per mortem Filii sumus reconciliati, et tamen nihil in illo aliud potuit mori nisi sola caro. Et hoc solum in illo viderunt Judæi, quod crucifixerunt, quod occiderunt, quod mortuum est. Sed cum caro mortua est sola, Dei Filius solus mortuus est, quia solus in hoc mundo venit, et adventus ejus ipsa caro est. Et ipsa caro exanimis jacebat mortua; sed Verbum caro factum non fuerat mortuum, quia cum carne ipsum Verbum immortale et inseparabile erat carni suæ in sepulcro, sicut et Verbum caro factum in utero. Et Patri semper æqualis permansit, cum in sepulcro carne mortuus jacuit, et in anima ad inferna descendit. Per carnem venit, et ipsa via ejus caro est; et ipse adventus ejus homo est, pro quo et laboravit ex itinere : Deus autem sempiternus, id est, divinitas ipsius hominis, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio vitæ ejus. Attamen tanta unitate personæ, ut sine dubitatione et homo qui mortuus est, credatur Dei Filius Deus verus, et verus Deus, Verbum Patris Filius credatur homo verus, qui sub Pontio Pilato crucifixus, hoc ipsum Paulo apostolo attestante, qui ait : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Et tamen hoc quod despectum in eo viderunt, crucifixerunt, non hoc quod Dominus gloriæ est. Nam quod homo dicitur Filius Dei verus et Deus verus, ipse Dominus de se dicit : *Nemo ascen-*

dit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et tamen illum hominem, quem Deus Verbum solus assumpserat, non eum adhuc in cœlo imposuerat, sicut nec de cœlo eum secum adduxerat; sicut nec de cœlo eum secum adduxerat; sicut nec de illo legitur: *Filius hominis descendit de cœlo*, et Filius Dei crucifixus est in terra. Sed hoc totum verum est, quia ex utroque unus Christus Filius Dei est: quia ipse descendit de cœlo, et ipse est Filius Dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est in terra. Nam et diabolus, cum eum tentaret, dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Et alio loco dixit: *Scimus quia sis Filius Dei, qui venisti ante tempus torquere nos.*

LXXXIV. Antiquus itaque hostis Redemptorem humani generis Deum debellatorem suum in mundum venisse cognovit; qui tamen priusquam eum passibilem videret, cum [*Fortè, eum*] posse mortalia pati quem hominem videbat, omne quod de ejus divinitate credidit, elatione suæ superbix in dubium venit. Nihil quippe humile sapiens, nisi tantum quod superbum erat, dum hominem esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde ad tentationum argumenta se convertit, dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit. Quid de hominibus dicere possumus, quanta humilitate habuit Filius Dei? cum et ipse diabolus, qui omnes tentabat ad peccandum, et aliquid suum in illis cognoscebat, et in Christo, ubi nihil suum cognovit, cum diceret: *Scimus enim quia sis sanctus*; et eum Deum esse dubitavit. Et hoc humilitas faciebat, id est, humanitas quam assumpserat. Et ipsa humanitas omnes superbos et elatos scandalizabat, sicut et hodie scandalizat. Nam cum nunc omnes audiunt Christum, non omnes uno modo capiunt Christum. Nam si omnes interrogas Christianos et dicas: *Creditis Christum?* omnes uno ore respondebunt, tam catholici quam hæretici, tam boni quam mali, et dicent, *Credimus.* Et hoc tantum ore profitentur hæretici, sed in corde aliud suspicantur esse Christum quod non est Christus. Et tamen in toto mundo bona fama resonat Christi, quia ubique est Ecclesia Christi, quæ legit Scripturam de Christo et laudat Christum. Et cum omnes laudem et bona se putent dicere de Christo, et tamen falluntur, quia dicunt aliud de Christo quod non est Christus.

LXXXV. Non potest verum dicere de Christo de cujus ore non loquitur Spiritus sanctus, sicut ipse Dominus ait: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Deum credunt esse Deum, et bonum est; sed cum Christum hominem crucifixum non credunt esse Deum, malum est: et dicunt se Deum laudare et ei gloriam dare, sed non est vera gloria, quia falluntur. Nam et bonum putant esse quod bonum non est. Et Christum putant esse quod Christus non est. Unigenitum Filium æqualem non esse Patri, non est bonum. Filium virginis Mariæ non esse Dei Filium, non est bonum. Veritatis carnem non esse veram carnem, non est bo-

num. Nam inæqualem Patri esse Filium Arii fides est. Quem Virgo peperit non esse Filium Dei, Elipandi fides est. Veritatis carnem non esse veram carnem, Manichæorum fides est. Sed quia hoc totum nihil est bonum, quia hoc non est Christus, in utroque falluntur, nec dant veram gloriam Christo, quamvis apud eos esse videatur cum laude bona fama de Christo.

LXXXVI. Et omnes plane hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non recte sentiunt, ideo errant quia eum non laudant ore, cum de corde vera non sentiunt. Sed cum eos catholicus reprehenderit, victi se reddere nolunt, sed unde convincant, novum dogma excogitant. Sic fecerunt Arius, vel cæteri qui aliud putaverunt esse quam erat Christus Filius Dei. Nam sicut nos sumus filii eorum, qui sic credimus in Ecclesia catholica ut illi crediderunt Christum, sic nunc sunt filii hæreticorum, qui negat hominem Deum esse Christum. Nova proferunt, quia sapientes videri volunt. De ipsis propheta dicit: *Illi sunt filii, sicut novellæ plantationum in juventute sua.* Plantatio eorum non est vetus, sed novella est. Non enim de veteri lege, non est de prophetis, non est de apostolis, sed de novis magistris est. Novi sunt, quia nova et semper de Christo excogitant. Semper juvenes sunt. Licet multæ sint hæreses, tamen quotidie mutantur, et nova quotidie inveniunt. Noverunt ipsæ hæreses, licet veteres sint, tamen cum quotidie doctrinam suam innovant, novi sunt. Novi enim veterum sunt magistrorum errores, sed quotidie ipsi nova inveniunt, quod Ecclesia non facit. Hæretici vero et hæreticos [hæreticis] detrahunt, quorum filii sunt per doctrinam et fidem, et ipsorum verba reprehendunt; et tamen in altero sensu ipsa dicunt, quia novis verbis nihil aliud quam ipsa sunt, et semper mutant, et multa sunt. Ecclesiæ tamen verba non sunt multa, et ipsa non mutantur, quia firma sunt; et nova non sunt, quia ipsa tota in Symbolo sunt. Et quidquid foras symbolum est, hæreticorum verba sunt.

LXXXVII. Nam multi non intelligunt hunc sermonem quare dicatur Symbolum. Symbolum enim Græce, quod Latine dicitur indicium et collatio. Indicium est, quia indicat cui credere debeamus, id est, uni Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Super Symbolum quid de Deo quæramus, tam in Veteri quam in Novo Testamento scriptum non invenimus. Et collatio dicitur Symbolum, hoc est, quod plures in unum conferunt. Nam hæretici singillatim sibi adveniunt, venenum quod melle linitum afferunt, et parvulos occidunt. Hæc per Spiritum sanctum videntes apostoli, collatione facta in unum, composuerunt Symbolum, ut per ipsum falsos apostolos convinceret Ecclesia. Nam dicunt majores nostri quod post ascensionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, hoc symbolum, breve sibi prædicationis indicium, conferendo in unum, quod sentiebant componunt; ne localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicaretur his qui ad fidem Christi invitabantur. Et hac fide proficit Ecclesia, de

qua dictum est per prophetam : *Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Hæc mensa Scriptura sacra est. Panis qui comeditur, Christi corpus est. Et corpus Christi quod manducamus, non solum panem [*Leg panis*] et vinum qui super altare offertur, corpus Christi est, sed et ipsum Evangelium corpus Christi est. Et cum Evangelium legimus et intelligimus, filii in circuitu mensæ, in una collatione sedemus, et panem cœlestem manducamus. Non longe sunt a mensa Christi qui omni hora dicunt : *Pancem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

LXXXVIII. Hæretici dicuntur filii, id est molles et in fide vacillantes; de quibus dicitur : *Filiæ eorum compositæ ut similitudo templi* (*Psal. cxxliii, 13*). Compositæ dicuntur, quia sermo hæreticorum compositus est, et sensus sordidus. Ornata habent verba de sapientia sæculari. Inde dicuntur *filii circumdinate ut similitudo templi.* Similitudo templi, non est templum, similitudinem habet Ecclesiæ. Sapientes se dicunt esse, quia vix ut rusticus hæreticus dici potest. *Cellaria hæreticorum plena, eructantia ex hoc in illud* (*Ibid., vers. 12*), quia semper parati sunt ad contendendum, ut si illos teneris in uno testimonio, ad aliud transeunt. Si in Scripturis eos teneris, majores proponunt, qui in diversis provinciis habitant, et ab ipsis hoc didicisse pronuntiant. Nam cum dicimus illis quia *Pater misit Filium*, sicut ipse ait : *Pater, qui me misit, major est me*, respondent illi contra nos : Deus non mittitur. Deus non subjicitur, non servit, sed dispensatio mittitur. Si Deus ubique est, omnia in Deo sunt. Quomodo Deus ad aliquid mittitur, cum Dei sint omnia? Difficile invenies hæreticos imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia sæculi. Nolunt in Scripturarum latitudine laborare; sed somniant, et stertunt in alto sopore, et eructant quod somniverint et insuper cum audacia in libris inserunt et cum temeritate defendunt. Et hoc faciunt ut ab auditoribus suis honorentur, et ab eis non solum laudis munera, sed etiam temporale subsidium accipiant unde vivant, dicentes eis : *Si nos vobis spiritualia seminamus, dignum est ut vestra carnalia metamus.* Obliviscentes illud apostoli : *Manibus nostris operabamur, ne quemquam vestrum gravaremus.* Multi nescientes beatos tales putant. Sed si beati sunt, qui non habent cum apostolis callosas ex opere manus? Qui non ingrediuntur nudi cum reti mare istius sæculi, et sunt piscatores hominum? Qui non habent lutosos pedes? Non plane, quia sua quærunt, non quæ Jesu Christi? Et ubi deprehenditur in Ecclesia ipse hæreticus qui sanctitatem ostendere religionis videtur, vitia emendat, bonum vult, malum non recipit, eleemosynas facit, captivos redimit, hospites suscipit, humanitatem habet, nudos vestit, infirmos et in carceratos visitat, et aliquoties semetipsum in poenitentia mactat, et cætera hujusmodi similia, quæ numerare longum est, quæ videtur facere, et tamen hæreticus potest esse.

LXXXIX. Sed dices : In quo potest deprehendi

qui sit hæreticus? Multa sunt : sed ex multis tria proponam, ex quibus deprehendatur a catholicis in Ecclesia. Primum in fide vera. Per fidem enim vite largitas ad homines venit. Quod per Prophetam Deus ipse testatus est, dicens : *Justus autem meus ex fide vivit.* Apostolus Paulus ad Hebræos (*x, 38 seqq.*) dicit : « Nos autem, fratres, non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non parentium. Per fidem enim testimonium consecuti sunt seniores. Fide intelligimus facta esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibentibus muneribus ejus; et per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habebat placuisse Deo, sed tamen per fidem. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia vere est Deus unus, et inquirentibus se remuneratus sit. Fide Noe, responso accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens habitavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum; et justitiæ, quæ per fidem, hæres est institutus. Fide quoque vocatus Abraham obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem. Et exiens, nesciens quo iret, fide moratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis : quoniam fidelem credidit esse qui promiserat. Propter quod et ab uno orti sunt omnes. Et hoc e mortuo tanquam sidera cœli in multitudinem, et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non adeptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confidentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere (*et non terrenam patriam, sed cœlestem*). Et si quidem illius meminissent regionis de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetant, id est cœlestem (*Jerusalem*). Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum. Paravit enim illis civitatem (*sanctam Jerusalem cœlestem*). Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur. Et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. Unde eum et in parabola accepit. Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau. Fide Jacob moriens, singulos filios Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. Fide Joseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. Fide Moyses natus oc

cultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerant regis edictum. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauris Ægyptiorum improprietas Christi : aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis. Invisibilem enim tanquam videns sustinuit. Fide celebravit Pascha ex sanguinis effusione : ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram. Quod experti Ægyptii, devorati sunt. Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficit enim tempus narrantem de Gedeon, Baruch, Samson, Jephthe, David, Samuel, et prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt reprobationes, obtulerunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra subverterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non rescipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis et in pellibus caprinis, egresses, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, et in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt reprobationem. Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur.

XC. Ecce hi Patres, qui adhuc sub umbra fuerunt, quos Apostolus nominavit, per fidem salvi facti sunt : et pro ipsorum descendit animabus ad inferna, et eas secum adduxit ad cælos ; et adhuc hodie illam reprobationem non acceperunt isti majores. Et ubi sunt illi qui dicunt quod hi qui cum Christo resurrexerunt, cum carne et animabus in cælos cum Christo ascenderunt? Non concordant Apostolo, qui hoc loco dixit : *Non acceperunt reprobationem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Quomodo sunt cum carne in cælo, si adhuc illorum reprobatione sine nobis consummarentur? Aut quomodo pars corporis Ecclesie, quæ caput habet in cælo, pars ascendit, et pars patitur adhuc, et pars jacet sepulta? Et ubi erit illud quod Joannes in Apocalypsi dicit : *Vidi subter altare animas interemptorum propter Verbum Dei, et testimonium quod habebant (Apoc. vi, 9)?* Non propter aliud occisi sunt, sed propter Verbum Dei, propter Verbum incarnatum, propter testimonium quod habebant Jesu Christi, quem prædicaverunt, expectaverunt et viderunt, cui et clamabant

* Quoad corpus scilicet.

A voce magna, dicentes : *Usquequo. Domine sanctus et verus, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra (Ibid., vers. 10)?* Ubi illic adjungitur : *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ (Ibid.).* Quæ sunt singulæ stolæ albæ, nisi tantum animæ quæ adhuc desiderant corpora, ut adhuc in terram suam duplicia possideant cum omnium hominum fuerit resurrectio? Sicut scriptum est : Non prima justorum, et secunda peccatorum, ut hæretici dejerant, sed una resurrectio omnium et in semel.

XCI. Quod ut verius probem, audi quid sequitur : *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, id est, lætitia animarum tantum : et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum et fratrum eorum.* Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad promissum ordinem redeamus, et quid sit vera fides, tractemus : *Quia sine fide nullus placere Deo potest.*

XCI. Sed quia de Veteri Testamento jam cum Apostolo diximus, et una fides est, et unum Dominum credimus, ad Novum Testamentum, ipso Domino præcedente, veniamus. Fide ipsa Virgo angelo credit, dicens : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum.* Fide Elisabeth matrem Domini prædicavit. Fide Simeon cognovit Dominum. Fide Anna Dominum laudavit. Fide centurio dixit : *Domine, tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Et Dominus miratus se sequentibus dixit : *Non inveni tantam fidem in Israel. Et ait ei : Vade, sicut credidisti fiat tibi.* Aut quid dicam? Fide apostoli crediderunt. Fide cæci illuminantur. Fide diversæ valetudines curantur. Fide mulier fimbriam vestimenti tangens, salva facta est. Ad quam Jesus dixit : *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Fide mulier Chanaanæ importune clamabat, dicens : *Domine, adjuva me.* Respondens Jesus ait : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Et illa dixit : *Domine, nam et castelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti.* Fide gentilis populus credit. Fide et hodie creditur. Sed multis modis fides variatur, et fides vera putatur, quæ fides vera non est. Sicut multis modis Christus unus prædicatur, et Christus putatur, qui Christus non est. Sic fides putatur vera, quæ vera non est. Fides falsa est, quæ sine charitate est. Denique postquam apostoli Domino crediderunt, dixit Jesus : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Pacem meam, non sicut mundus habet pacem. Siquidem mundi pax nostrum bellum est. Meam pacem do vobis. Bellum habete cum mundo, et meam pacem habebitis. Et in hoc cognoscent omnes homines, quia mei discipuli estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Tunc illi omnes hoc præceptum acceperunt a magistro, facta collatione, tantam habuerunt dilectionem, ut in duodecim illi corporibus animam face-

b Locus mendosus.

rent unam, unum cor, et voluntatem unam. Et qualiter crederet Ecclesia, non unus composuit Symbolum fidei, sed omnes singula verba posuerunt. Et quod corde crediderunt dilectione demonstraverunt. Quod hæretici non faciunt : sed unusquisque sibi sapiens esse videtur, et non requirit membra, nec collationem necesse habet; sed ad suam novam doctrinam omnes vult inclinare. Et cum catholicus noluerit eum audire, excitatur in discordiam. In hoc deprehenditur primum quia non habet fidem rectam.

Secundo, quia non habet charitatem.

XCIH. Tertio, quia qualis ille, tales et discipuli ejus. Quia omnis magister in discipulis agnoscitur, sicut et Christus in apostolis. Nam omnis magister qui de doctrina Christi est, primum a domesticis cognoscitur qualis sit. Sicut Apostolus docuit, *Domum suam bene regentem, filios habere subditos, cum omni castitate. Quia qui domum suam bene non regit, in domo Dei diligentiam habere non potest.* Nam omnis qui discipulos nutrit, in tantum eos instruit in fide vera, donec Christus formetur in illis, secundum apostolum Paulum, qui dicebat discipulis : *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Christus formetur in vobis.* Item ipse : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Potuerat Dominus noster Jesus Christus uno die docere discipulos suos, si voluisset, quia ipse erat Deus, qui illis inspirare potuerat una hora quod multo tempore inspiravit. Sed pro hoc factum est, ut qui magistri Ecclesiarum esse deberent, multo tempore per lac crescerent, et cum labore ad solidum cibum pervenirent : qui etsi multum laboraverunt, quia erraverunt et dubitaverunt; sed illorum erratio nostra est correptio, illorum dubietas nostra est firmitas. Erravit Petrus quia negavit. Dubitavit Thomas de resurrectione quia dixit : *Nisi videro, non credam.* Dubitavit Cleophas et Lucas evangelista, quia dixerunt : *Nos putabamus eum, quod ipse esset redempturus Israel.* Et cum non cognoscerent Christum, et interrogaverunt ab eo *quare essent tristes,* responderunt ei : *Tu solus peregrinus factus es in Jerusalem, et non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus?* Dixit eis Jesus : *Quæ? Responderunt, dicentes: De Jesu Nazareno, qui fuit propheta major in opere et sermone.* Vides quia non æstimabant eum Deum esse, sed prophetam? Dubitavit Philippus, qui dixit : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Protinus audivit : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Hoc totum quare dico quod apostoli erraverunt? Propter hæreticos, qui discipuli non fuerunt et magistri sunt. Quod si in disciplina multo tempore in collatione laborassent, ibi audissent quid dicerent ibi reprehenderentur, ut emendarent. Ibi corrigerentur, quo errarent, donec Christus firmaretur in eis : et sic cum grandi labore, orando et humiliando, quandoque ad solidum cibum pervenirent. Et cum pervenisent, jam dentes habentes solidum panem

A manducarent; et parvulis frangerent et darent, id est, sententias, quas mente parvuli non intelligunt, ipsi ea responderent. Sed quia sibi sapientes videntur, et pro despectu hoc facere nolunt, ideo magistri erroris sunt, quia veritatis discipuli esse noluerunt. Discipuli quidem fuerunt, sed de disciplina sæculari. Et ideo fures et latrones in collatione Ecclesie apparuerunt, quia non per ostium, quod est Christus; sed aliunde primam cathedram ascenderunt. Et inde cognoscimus eos non esse veros pastores, quia vocem illorum, id est eos, oves Dominicæ fugerunt.

XCIIV. In his tribus plene deprehenduntur in Ecclesia hæretici, id est, in fide, et dilectione, et disciplina. Qui enim recte credit et non diligit, dæmon est. Dæmon credit et non diligit. Nec iste discipulus Christi est. Nam omnis qui diligit, credit. Dilectio enim tantum in bonis rebus accipitur, amor vero et in bonis et in malis esse potest, quia et mali se amant et non diligunt. Quia dilectio a duorum ligatione nomen accepit, quia sic diligit alterum sicut seipsum. *Et est mensura dilectionis, in quo tota lex pendet et prophetæ. Diligit Deum ex toto corde, et proximum tuum sicut teipsum.* Restat ergo ut qui diligit recte credat quia Symbolum recitat. Pro fide tamen solus non contendit, sicut hæreticus, sed cum omni Ecclesia clamat. Hæreticus tamen solus errans discurrit per terras, ut novæ suæ doctrinæ consentientes inveniat. Catholicus autem nihil novum dicit, quia totam suam fidem in Symbolo comprehendit. Confirmat eam, quia habet dilectionem proximi. Tunc habet et spem, cum habuerit fidem et charitatem. Fides dicta est, quia fit illud quod inter utroque placitum est. Id est, sicut inter hominem et hominem fiat, ut nemo nemini mentiatur. Jam si mentitur quis, non est fides. Sic inter Deum et hominem : si non facit homo quæ promittit Deo, jam non est fides. Jam et Deus non facit quæ promittit homini, quia homo primus violavit fidem. Spes vocata quasi pes ad progrediendum. Qui promittit Deo et non pergit ad eum, non habet spem, quia non vadit. Non est ibi pes, sed de pes, id est desperatio. Charitas autem Græcus sermo est, quod Latine dicitur dilectio. Hæc tria sunt quæ in religionis cultu ad colendum Deum in omnibus perquiruntur, id est, fides, spes et charitas. *His tribus major charitas.* Quia hic inchoatur, et finem non habet. Proinde Deus charitas nuncupatur, qui finem non habet. Fides tamen et spes finem habebunt. Quia cum videmus Deum, quem credimus, ultra quod credamus non habemus. Fides dicitur in hoc sæculo, quia veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Nam credere jam non possumus quod videmus. Sic spes tantum in hoc sæculo est. Cum autem viderimus majestatem Dei, quam nobis promissit videre, ultra quod speremus non habemus, quia quod speramus jam habemus. Et cum habet homo quod sperabat, quod speret non habet.

XCV. Charitas vero hic inchoat proximo. Et cum

viderit Deum, tunc fit major. Quia hic dilexit proximum, minor est. Sed quantum plus dilexit proximum, tantum et illic plus videbit majestatem Dei. Et quantum minus dilexit proximum, tantum illic minus videbit majestatem Dei. Et qui non dilexit, licet jejuset, oret, res suas pauperibus eroget, ita ut nudus pro Christi nomine remaneat, virginitatem custodiat, *die et nocte in lege Domini meditetur*, omnes Scripturas memoriter teneat, omni die communicet, infirmos et incarceratos visitet, nudos vestiatur, hospitibus pedes lavet, recte credat Christum Filium Dei, omnia secreta ejus sciat, *et angelorum linguis loquatur*, et pro Christi nomine crucem ascendat, et pro Christo sanguinem fundat, majestatem Dei videre non potest. Sine charitate Deum nullus catholicorum videbit unquam. Ipsi dicturi sunt, qui ista omnia faciunt, et non diligunt: *Domine, in nomine tuo prophetavimus, dæmones ejecimus, et virtutes multas fecimus. Tunc respondebit illis: Descendite a me, operarii iniquitatis. Nunquam novi vos in domo Patris mei. Require nunc quid est in domo Patris. In domo Patris non fuit, id est, Ecclesiæ unitatem non tenuit. Fides autem illa vera appellanda est quæ est vera, non ficta, quam sanctus commendat Apostolus, dicens: Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Nam quia idem beatus Apostolus, gratia nos dixit salvos factos esse per fidem: quam non ex nobis, sed Dei asserit donum. Et utique vera salus non erit, ubi fides vera non fuerit. Quæ cum divinitus infunditur, sine dubio gratuita largitate donatur. Et ubi per veram fidem veritas fuerit credulitatis, veritas utique comitabitur et salutis. Quisquis autem a vera fide deviaverit, veræ salutis gratiam non habebit.*

XCVI. Proinde torpere non debet fidelis animus ad quærendum si quid in sacramento fidei sibi videtur ambiguum, maxime in mysterio Dominicæ incarnationis, per quam justitia impiis, vita mortuis, salus infirmis et veræ libertatis gratia donata captivis. *Ipe est panis noster, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo. Si quis, inquit, ex ipso manducaverit, vivet in æternum. Panem cæli dedit eis, ut Propheta ait: Panem angelorum manducavit homo.*

XCVII. Sed forte dicat aliquis: Ubi invenire possumus hunc panem, qui de cælo descendit, et manducare? Jam Dominus ad cælos ascendit, quomodo manducabo hunc panem, et vivam in æternum? Quia desidero hunc panem manducare. Et crelo quod vita æterna est ipse panis, id est corpus ejus. Et dico: Domine, semper da nobis panem hunc. Et in oratione, quam edocuit, oro et peto: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid est ipse panis quem quotidie petimus? Et noster panis est; et tamen eum nisi petierimus, non accipimus. Et vere corpus est. Audi ipsum panem nostrum quotidianum. Pete. Accipe. Manduca quotidie. Legamus sanctas Scripturas, et inveniemus hunc panem. Ego corpus Jesu Evangelium esse puto, Scripturas puto doctrinam ejus; et quan-*

do dicit Jesus: Qui non comederit carnem meam, et sanguinem meum non biberit, licet spiritualiter et mysterio possit intelligi, tamen corporaliter panem, quem petimus quotidianum, vere corpus Christi, et sanguis ejus, sermo scripturarum est. Et cum legimus eam, carnem Christi manducamus, et sanguinem ejus bibimus. Et cum oramus, ut intelligamus ea spiritualiter, et cognoscamus Divinitatem incarnatam. Et cum cognoscimus quod vere Filius Dei sit, et verus Deus, et non est alter Deus præter illum, qui de Virgine natus est, et adoramus eum cum angelis, sicuti est unus cum Patre et Spiritu sancto Deus, panem angelorum manducamus. Qui Scripturam frequentat legere, ipsa littera corpus est. Sed spiritus in littera est. Habet ipsa littera spiritum, id est intellectum. Sed tamen ipse intellectum sine littera, quæ corpus est, nemo intelligere potest. Qui intellectus litteræ non est corpus. Sed cum cœperit aliquis legere, ipsa littera, quæ corpus est, et eam intelligere non poterit, oret, et dicat: *Pater noster, qui es in cælis: panem nostrum quotidianum da nobis hodie; quousque petat, quousque intelligat. Et postquam intellexerit, interroget seniores, interroget Patres, sicut scriptum est, et ipsi eam nuntient: et tunc videbit spiritum, si ex Deo est an non. Non se præsumat ante prædicare, nisi prius probaverit spiritum litteræ, si ex Deo est. Pensa quantum periculosus est sermo divinus quem manducas; in ipsa comunione cognosce quam comunicas. Si micula ceciderit in terra de manu sacerdotis, omnes contremiscent, et elongat se ab ipso loco ubi Eucharistia ceciderit, et quæritur diligenter ut in patena reponatur, quia corpus Christi est ipsa Eucharistia, quæ latine dicitur bona gratia. Sic et Evangelium bona gratia dicitur. Quod si totum Evangelium quis intellexerit, et miracula crediderit quæ non intelligit, quærat, timeat, contremiscent, non habeat despectui ipsam miculam quaerere et invenire, et in patena, id est in anima fideli, ponere, quia corpus Christi est. Et animæ fidelium, si vasa non essent, non diceret Propheta ex voce Domini: *Mundamini, qui fertis vasa Domini. Et de Paulo apostolo ipse Dominus dicit: Vas electionis mihi est. In ipsa vasa corpus Christi mittitur, quod est Eucharistia, sive Verbum Dei. Quod si ipsa micula, quam eucharisticam diximus, de manu sacerdotis ceciderit, et eam conculcaverit, conculcat et omne corpus Christi. Tunc non debet corpus Christi tradere, et nomen Patris habere, sed inter cæteros filios accipere, qui filii sciunt sanctum esse. Sed si de sacramento interrogentur, rationem facere nesciunt. Sic etiam de Evangelio intelligendum est. Qui pater est et Evangelium annuntiat ad quem corpus Christi diximus, et totum Evangelium bene annuntiaverit, et micula ceciderit ei quam intellexerit, et male intellecta non quæsierit, sed conculcaverit, id est, cum temeritate defenderit, conculcat totum corpus Christi, id est, totum Evangelium. Tunc non debet**

corpus Christi more paterno dare, sed more filiorum accipere, id est, non debet ut doctor prædicare, ut discipulus accipere.

XCVIII. Qui enim recte credit de Patre et de Filio, et de Spiritu sancto non recte credit, jam nec de Patre recte credit. Qui recte credit de Filio et de Patre, et Spiritu sancto non recte credit, jam nec de Filio recte credit. Qui recte credit de Spiritu sancto, et de Patre et Filio non recte credit, jam nec de Spiritu sancto recte credit. Qui recte credit de tota Trinitate, et de sola incarnatione Filii Dei non recte credit, jam non recte credit de tota Trinitate. Sic et cum totam legem Christi observaverit, et in unum offenderit, jam totam legem offendit. Si cognoveris legem, cognosces et Evangelium. Quia Evangelium sic est de lege sicut granum tritici de palea. Et nullum granum potest ad maturitatem venire, nisi intra paleam latitaverit. Hoc est granum tritici quod in terram cecidit et non multiplicavit. Ipse est Christus, ipse est panis, quem nunc comedimus. Sed et ipsum granum medullam habet, pinguedinem habet, adipem habet unde satiamur, secundum prophetæ dictum: *Et adipe frumenti satiat te*. Pinguedo in grano est, divinitas in carne. Granum in palea est Evangelium in lege. Est occultatum Evangelium in lege, et occultus Christus in littera. Est et occultata divinitas in carne. Legunt carnales Judæi legem, et non intelligunt Evangelium. Legunt carnales Christiani litteram, et non intelligunt spiritum. Clamant Christiani Christum, et non intelligunt divinitatem. Ac per hoc glorificant se Judæi de lege; sed eam non habent, cum Evangelium non habent, quia panem non habent. Glorificant se et carnales lectores de littera in Ecclesia, sed eam non habent, quando Spiritum non habent. Glorificant se Christiani de fide, sed Christum non habent, qui divinitatem non habent. Quamobrem nihil habet ex parte, qui totum non habet. Nam cum *littera occidat, spiritus autem vivificet*, necesse est illa spiritualium interiora sermonum, spiritu vivificante, penetrare. Universam porro Scripturam, tam Veteris Testamenti quam Novi, ad intellectum allegoricum esse summendum.

XCIX. Nam ipsa allegoria quatuor modis in Scripturis divinis est requirenda. Primus est secundum translationem, ut est illud: *Iratus est Dominus et descendit, et similia, quæ ad insinuandas causas et hominum motus transferuntur ad Deum*. Alia est secundum imaginationem, vel hypotyposes, ut est illud: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*. Et parabola vineæ atque agrorum. Ordo enim eorum quæ agebantur a Christo velut imaginem personæ et negotii alterius refertur impletum. Tertia est secundum comparisonem, vel similitudinem, ut est illud: *Simile est regnum celorum grano sinapis, et cætera*. Non enim narratio, sicut in superiori exemplo contextitur, sed causarum solummodo comparatur effectus. Quartus est secundum proferbialem modum, ut est illud Salomonis: *Bibe*

A aquam de tuis vasis, et de tuis puteis (Prov v, 15).

Vult Scriptura carnalem concupiscentiam monere refrenandam esse intra jugalem licentiam. Has nostras allegorias Judæi non recipiunt. Carnales Christiani non intelligunt, et inde Christum hominem esse Deum non confitentur. Denique velavit Moyses faciem suam, et sic est populo locutus. Velata fuit Moysi usque ad Christum bibliothecæ facies, et in fine hujus bibliothecæ revelata est. Et inde sic incipitur revelatio Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, *quæ oportet fieri cito (Apoc. 1, 1)*. Hæc Joanni revelata est: quæ tota bibliotheca unus liber est, in capite velatus, in fine manifestus. Qui liber duo Testamenta dicuntur, Vetus et Novum. Et unum est tanquam unus gladius ex utraque parte acutus. Et hinc inde, id est in lege et Evangelio acuitur, ut fideles armet et interficiat infideles, sicut idem in Apocalypsi de ore Domini gladium ex utraque parte acutum egredi testatur, id est verbum ejus. Quilibet bibliotheca totus sic est intelligendus tanquam unus homo.

C. Denique homo perfectus ex tribus constat, id est anima, corpore et spiritu: sicut Apostolus dicit: *Deus pacis sanctificet vos ad perfectum: et integer spiritus vester, anima, et corpus, sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi judiciumque reservetur*. Non quod altera sit anima in substantia, et alter spiritus, sicut altera substantia est anima, et altera caro, sed ipsa anima unus est idem spiritus. Sed dum exteriorem carnem affligit homo per poenitentiam, secundum Apostolum, *interior anima renovatur de die in diem in cognitione Dei*. Et postquam cognoverit Deum, dicitur spiritus, id est contemplativus servus Dei, quia Deum contemplatur. Per vitam contemplativam videt Deum, non in corpore, sed mente. Quæ mens sic est in actione animæ sicut caput in corpore. Qui spiritus sic est in actione mentis sicut oculi in capite. Et sicut homo videt per oculos, et discernit lucem a tenebris, et in die ambulat aut operatur, quia participat lumen oculorum suorum cum lumine solis, et utrumque unum lumen est, sic ille Spiritus, qui lumen est, participat cum Christo, qui sol est, et fit unum lumen utrumque, id est unus spiritus; sed non est ipse spiritus, quem dicimus, cum Dei spiritu una natura.

CI. Cum dicimus lumen et lumen, quia aliud est lumen illuminans, aliud lumen illuminatum; sicut aliud est sol illuminans, aliud oculi illuminati. Qui oculi in tenebris non vident, nisi participantur lumen, aut soli, aut lucernis, qui sol Christus intelligitur. Lucernæ vero Patres sancti, id est, prophetæ, apostoli atque doctores. Tenebræ vero sunt, in quibus homo non participat luci, diabolus et angeli ejus, homines mali, et peccata quæ facimus, pro quibus cæcamur, et Deum videre non possumus. Et tamen ille semper in lumine est, et nos videt. Et omnes sancti qui in lumine cum eo sunt: et nos putamus quod nemo nos videt, cum malum cogitamus aut fa-

cius. Et tunc non sumus cum Deo, sed Deus nobiscum est, qui ubique lumen est, licet nos in tenebris sumus, qui tunc cum diabolo et hominibus malis una tenebræ sumus cum operibus illorum participamus. Sic tunc non sumus cum Deo, et ille nobiscum est : sicut cæcus non videt lumen solis, et tamen lumen solis totum corpus ejus illuminat; sed sol se non mutavit, sed cæcus, qui lumen sui corporis perdidit. Sic Deus se nunquam mutat, sed nos, qui lumen animæ perdimus per peccatum.

CII. Hoc totum quare diximus? Quia unum hominem animam, corpore et spiritu, id exemplo bibliothecæ insinuaré voluimus. Qui homo tantum ex duobus substantiis constat, id est corpore et anima. Corpus habet partem mundi, unde ducit originem. Anima vero non habet originem, quia spiritus est, et ad imaginem Dei factus est : quæ ex utroque unus homo compositus est. Et ipsa anima rationalis est, sicut angelus, et intelligit cum angelis : et ipse spiritus, quem supra diximus, ipse intellectus animæ, hoc est superior intellectus, quod Græce dicitur anagoge, id est intellectus angelicus, per quem Deum videt. Et cum supra tendit, sit cum Deo et angelis unus spiritus. Et cum ad corporalia flectitur, et nimis pro corpore cogitat, sit mundi amator.

CIII. Et dicitur iste mundus quia Christum odio habet. Si fuisset cum Deo erat Deus, non natura, sed gratia. Sed quia servit mundo, id est corpori, tunc non dicitur imago Dei, sed homo. Propheta attestante, qui ait : *Et homo in honore cum esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. XLVIII, 13)*. In honore est, quando in superiori intellectu cum angelis intelligit; et pro hoc laborat, ut ad angelorum æqualitatem perveniat : et panem quotidianum in nomine Jesu Patrem dare sibi postulat, ut in æternum cum illo vivat æternus. Cum vero pro ea laborat quæ æterna non sunt, et terrena sunt, et corporalia sunt, et videntur, perdet imaginem et similitudinem Dei, et comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Quæ totum una anima agit, et ipsa est quæ cœlestia concupiscit æterna et obliviscitur temporalia. Et ipsa est quæ terrena lucra temporalia conquirat, et cœlestia obliviscitur; et non potest cælum et terram simul lucrari, nisi unum dimiserit. Et D habet ipsa anima multa nomina per actiones quas discurrit, cum sit substantia una : quæ dum contempletur Deum, spiritus est. Dum sentit, sensus est. Dum sapit, animus est. Dum intelligit, mens est. Dum discernit, ratio est. Dum consentit, voluntas est. Dum recordatur, memoria est. Dum membra vegetat, anima est. Et hæc quidem dum multiplici consentient appellatione, non tamen ita dividuntur in substantia sicut in nomine, quia ista omnia una est anima. Et in parte qua se flexerit ipsius partis nomen accipit, quia partes ejus sunt ista quæ dixi. Hoc totum pro spiritu ista diximus, ut hæreticis calumniandi assertionem tolleremus. Quia unum hominem integrum atque perfectum spiritum, anima et

A corpore, secundum Apostolum constare firmavimus.

CIV. Quo firmato, ad bibliothecam nostram, Deo illuminante, redeamus. Et sicut unum hominem integrum ex tribus constare diximus, et a bibliotheca nostra unum librum integrum ex tribus constare explanemus, id est, littera, tropologia et mystica intelligentia. Littera est sicut corpus hominis. Quæ littera ipsa est historia. Tropologia sic est sicut anima hominis. Mystica intelligentia sic est sicut spiritus hominis. Corpus ergo sacræ Scripturæ, sicut diximus, littera est. Et anima in morali sensu qui tropicus dicitur; spiritus vero in superiore intellectu angelico, qui anagoge appellatur. Corpus est litteræ, cum dicimus : *Ambulabat Dominus. Descendit Dominus. Caput Domini, capillos, oculos, aures : Juravit Dominus per animam suam* : et tota historia, quæ legitur et auditur, et syllabis comprehenditur, et litteris emendatur, et cætera hujusmodi similia, quæ ad exteriorem auditum pertinent, tam legentibus quam audientibus communiter, totum corpus est litteræ exterioris, sicut corpus est hominis exterioris. Quæ si omnia quæ leguntur secundam litteram, id est, corpus litteræ exterioris, sicut ad aures publicas sonat, sic ea voluerimus intelligere, tales erimus sicut et ille qui cœlestia obliviscitur, et terrena lucra sectatur, et tantum corpus suum, non animam diligit. Et tamen utrique comparati sumus jumentis insipientibus. Unam comparisonem habemus, et vita sumus dissimiles, quia ille est sæcularis qui mundum amat, et ego religiosus, qui litteras. Sed ab una comparisonem, id est ab una lancea, occidimur, quia utrique corpora amamus, utrique corpora videmus. Quæ et in ipsa historia est aliquid, quod sicut audivimus et tenemus, et sic intelligantur sicut audiuntur. Et sic diligimus ea et observamus. Quod si et illa ad allegoriam reducerimus, et volumus ea mutare, tale est tanquam si corpus nostrum omnino occidimus, et non damus ei quæ necessaria sunt, sine quibus corpus vivere non potest, id est, cibo, potu, somno et vestimento. Si hæc facimus, jam non erit corpus quod currat pro anima. Jam non erit anima salva quæ corpus suum occidit contra naturam.

CV. Quæ sunt ista quæ diximus? Sunt hæretici, nomine Circumcelliones, qui amore martyrum semetipsos interficiunt. Tales sunt et illi lectores qui omnino animam litteræ a corpore nudare quærunt. Nam sicut corpus stat pro se, et recipit actionis suæ vicem, sic et historia aliquando per se, ut aliud non intelligatur per significationes, similitudines et figuras, nisi tantum secundum corpus litteræ sicut auditur. Historia est Christus Dei Filius, natus de virgine Maria, crucifixus sub Pontio Pilato. Mortuus et sepultus. Descendit ad infernos. Tertia die resurrexit vivus a mortuis. Ascendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Hæc pro se stat sicut auditur. Non est allegoria. Non significavit alterum Christum, sicut patriarchæ et prophetæ hunc significaverunt et prædicaverunt esse venturum. Illi præ-

dicaverunt esse venturum. Illi prædicaverunt non se, sed Christum. Christus prædicavit semetipsum, missum a Patre, dicens : *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret in mundo ; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nos vero cum apostolis et doctoribus prædicamus eum jam venisse humilem, ut nos qualiter viveremus doceret. Et secundo eum exspectamus in gloria majestatis suæ redire, et regulam quam posuit requirere, et unicuique secundum opera sua reddere. Hæc historia, sicut auditur, ita ab omni Ecclesia creditur et tenetur. Sic etiam decem præcepta legis, quæ in duas tabulas scripta sunt, sive decimæ, sicut audiuntur, ita intelliguntur et tenentur. Hoc totum corpus litteræ est tanquam corpus hominis.

CVI. Veniamus ad interioris litteræ moralem sensum, quem tropicum diximus, quem etiam in exemplo animæ posuimus, qualiter de exterioris litteræ corpore ad interiorem intellectum, tanquam a l interioriorem animam rationalem, ascendere valeamus. Omnis enim lector qui de historia ad moralem scientiam ascendit, et non pervenit ad spiritum litteræ, talis est sicut quodlibet animal, tantum constans ex corpore. Moralis scientia dicitur, id est, secundum mores : ut cum nominat Scripturam, ut puta hominem, intelliguntur ejus mores, quia sensum habet et rationalis est. Cum nominat animal, ut puta bovem, intelligitur quia unguam dividit, et ruminat, et sub jugo est. Cum vero nominat asinum, vel quodlibet jumentum, intelliguntur eorum mores, quia ruminant nec unguam dividunt. Cum nominatur camelus, intelligitur ruminare, et unguas non dividit. Cum nominatur porcus, intelligitur unguam dividi, et non ruminare. Cum nominatur leo, intelligitur omnium fortissimum esse bestiarum. Sic et ursus, lupus, aut vulpecula, secundum suæ naturæ actiones, uniuscujusque intelliguntur mores. Sic etiam de cæteris animalibus, reptilibus sive volatilibus, quæ Scriptura sacra commemorare solet. Quæ omnia mores hominum sunt intelligendi, ut per ipsa lector agnoscat vitam vel mores hominum intra Ecclesiam. Sed istos mores non potest discernere, nisi integer homo, id est spiritus, anima et corpus. *Spiritualis homo omnia judicat : ipse autem a nemine judicatur.* Nam sicut spiritualis nomen trahit a spiritu, sic animalis ab anima. *Et animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, ut ait Apostolus.* Sic etiam carnalis nomen trahit a carne, secundum Apostoli dictum : *Cum audio rixas inter vos, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Nihil prodest lectori, si totam bibliothecam memoriter recitet, et moraliter interpretetur, si non pervenerit ad spiritum. Quare? Quia non est integer homo, id est spiritualis, sed tantum animalis et carnalis est. Ad hunc spiritum nemo potest venire, nisi ab actione exteriori vacaverit, et vitam contemplativam tota mentis suæ intentione secutus fuerit. Nam quilibet carnalis potest omnem bibliothecam legere et recitare; potest etiam eam et moraliter interpretari, et dicere : Ecce quid

A significavit Noe, qui arcam in diluvio erexit. Quid Abraham, Isaac et Jacob. Quid Joseph venditus in Ægypto. Quid Moyses, qui eduxit populum de terra Ægypti. Quid Josue, qui eis terram repromissionis divisit. Quid David, rex et propheta. Quid propheta significaverunt, nisi hi omnes Christum? Potest et dicere : Ecce quid significant sol, luna et stellæ. Quid mare et pisces. Quid flumina et fontes. Quid montes et colles. Quid herbæ et arbusta.

CVII. Et quia pleraque, sive in bonam partem sive in malam, duobus modis intelligenda sunt, secundum Scripturas potest facere rationem. Attamen cum venerit, et de animalibus disputare cœperit, quid significant volatilia, quid reptilia, quid quadrupedia, quid animalia munda, quid immunda; quid bestia, id est, leones, ursi, lupi, vel vulpeculæ, quid greges ovium vel vaccarum, aut columbæ, vel gallinæ. Jam hic non discernit quid sit lupus, aut quid ovis, cum fortasse et ipse lupus est et solus in tenebris ambulat ululando, et oves quæ ingressæ sunt sub pastore, defossat et spargit. Nam lupus, aut ursus, aut quælibet bestia quæ carne vescitur, non est sub pastore, nec in domo creatur, nec in grege ambulat, nec munda sunt, nec cibo hominum apta sunt. Animalia vero quælibet munda in grege ambulat, et sub pastore sunt. Includuntur et a bestiis defenduntur, et ad cibos hominum apta sunt. In hoc cognoscimus hunc interpretem, si lupus an ovis sit. Nam si ovis est, in grege est, in multitudine est, in simplicitate est, sub pastore est. Includitur in ovile, herbas Scripturarum manducat, non carnem fratris sui. Cibus domini sui est, a quo regitur et custoditur. Illius qui dixit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Nam si in grege non ambulat ovium, id est in multitudine monachorum, licet totam bibliothecam recitet, et secundum mores interpretetur, non est ovis, sed lupus solitarius. Bestia est. Foras domum est. Oves Dominicas invenit. Non interpretatur Scripturas, quod audit; sed ululat, quia non tractat. Quid facit? Non eum videmus aliquid mali facere? Non credatis. Hypocrita est. Pellem ovinam in superficie gestat. Nam sub pelle lupus est, id est, sub littera hæreticus est. Homo integer non est. Anima tantum et corpus est. Spiritus non est, ab spiritu separatus est. Omnes ita separare vult, dividere vult, sicut ille divisus est. Scindere vult, sicut ille scissus est. Spargere vult, sicut ille sparsus est. Et ideo deforis venit, et de domo vult rapere, quia non est ovis, sed lupus. Nam cum leguntur in Scripturis animalia sive munda, sive immunda, allegorice mores hominum intelligendi sunt, non secundum corpus litteræ, ut audiuntur. Nam si oves non essent et lupi in Ecclesia, non diceret Dominus discipulis suis : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (Math. x, 16).* Præcepit nobis Dominus ut habeamus simplicitatem columbæ, et in una ambulemus classe, ne cæjusquam fraudibus machinemus. Habemus et ser-

pentis astutiã, ne alicujus supplantemur insidiis.

CVIII. Hoc totum quare diximus? quia unum hominem integrum, tanquam unam bibliothecam exponere inchoavimus: et in ipsam bibliothecam, quæ sicut unus homo, ita est, quo facilius intelligatur, more hominis exponenda est. Nam illa integra est, et homo sine illa integer non est. Et nemo ad Christum sine illa pervenire potest, quia ipse liber perfectus est. Diximus de corpore litteræ, tanquam de corpore hominis. Diximus de morali scientia, id est ratione morum: de interiori ratione litteræ, per quod cognoscuntur mores hominum.

CIX. Dicamus de spiritu litteræ, ubi invenitur Deus, sicut et de spiritu hominis diximus, qui videt Deum. Hæc omnia quæ supra diximus, sive quæ dicere habemus, tam Veteris quam Novi Scriptura Testamenti, ad intellectum allegoricum accipiendum admonet nos vel illud quod in Veteri Testamento legimus: *Aperiam in parabolis os meum: loquar ænigmata antiqua (Psal. lxxvii, 2)*. Vel illud quod in Novo Testamento scribitur, cum dicit: *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: et sine parabolis non loquebatur eis (Matth. xxiv, 34)*. In parabolis enim et credentes discipulos docebat, et incredulos adversarios convincebat. Nam sermo divinus, id est prophetarum et apostolorum, talem habet consuetudinem ut illa quæ vilia sunt et carnalia deforis ostendat, ut omnes, tam carnales quam spirituales, qui legerint vel audierint, in plano habeant. Illa vero quæ spiritualia sunt et speciosa, intus lateant, ne illa cœlestium archangelorum dignitas omnibus indiscrete pateret, et sanctum canibus, et margaritas porcis exponeret. Et quia exterior littera, id est historia, quod est eloquentia, argenti nomen interpretatur, et intelligentia spiritualis auri nomine intelligitur, et unus Spiritus sanctus utrasque dictavit: ut vere ad illius columbæ deargentatæ modum, cujus posteriora specie aurei splendentis irradiant: ita Scripturæ divinæ quæ planæ sunt in littera argento fulgerent, et occultiora sub littera auro rutilarent. Recte itaque divina dispensatione provisum est, ut illa eloquiorum argenti castitas, a promiscuis omnium oculis abscissa, quasi aliquo velamine pudicitia, ipsa scriptura contegeretur; cœlestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa divinitas occultabatur. Nam tunc manifestata est illa angelica scientia, quæ absconsa latebat sub littera, quando ipsa Divinitas per carnem est manifestata. Hic enim in interiori littera, id est spiritu, inveniuntur illa Domini interiora templa: hic illa sancta sanctorum, ut jam qui ibi ingreditur, cum Domino loquatur; sicut in Canticis canticorum ex voce sponsæ, quæ est anima, dicitur: *Surgam, et circuibo civitatem, per vicus et plateas quæram quem diligit anima mea. Quævisi illum, et non inveni (Cant. iii, 2)*. Ac si aperte dicat: Consideravi omnem gloriam præsentis sæculi; inspexi congregationes infidelium, et diversas sectas philosophorum, sed neque illic inveni quem diligit anima mea. Id est, cum pertransissem hujusmodi homines qui

A apud sæculum varia scientia clari putantur, et cum eorum superstitiosis adventionibus restitisssem, eorumque stultam sapientiam reprehenderem, inveni quem diligit anima mea. In me est enim apostolus ille qui de talibus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non hujus sæculi, neque principum sæculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. Et quia ipsa sapientia, quæ Christus est, apud tales non invenitur, quid sequitur audi: *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: sicut scriptum est: Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus his qui diligunt eum*. Et quia, dimissis et expulsis tabulis, invenit anima quem diligit, audi quid sequitur: Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Omnis autem disciplina religionis ex illo duplici scientiæ fonte emanat. Id est, quæ activa et contemplativa vita dicitur. Activa, in qua mores suos emendat. Contemplativa vero in contemplatione cœlestium et divinarum Scripturarum disputatione versatur. Quæ non potest venire ad spiritum, nisi per historiam, quæ est corpus litteræ, tanquam corpus hominis; deinde ascenderit ad moralem scientiam, quæ sic est in historia tanquam anima hominis in corpore; deinde ascenderit ad spiritum, qui sic est in morali scientia, ubi Deus invenitur, sicut spiritus est in anima ubi Deus videtur.

CX. Ecce hominem integrum, corpore, anima et spiritu. Ecce et librum integrum, historia, tropologia et mystica intelligentia. Ecce et Christum integrum, Verbum, anima et caro. Si ex tribus unum subtraxeris homini, aut carnem, aut animam, aut spiritum, homo integer non est. Et cum integer non fuerit, pecus erit, quia in sola anima et carne remansit. Sic et huic libro. Si ex tribus unum subtraxeris, aut historiam, aut tropologiam, aut spiritualem intelligentiam, unde vivas non habes, quia Christum non habes. Hæc Scriptura corpus Christi est. Et ipse corpus panis noster est. Hic est liber in ore dulcis et in ventre amarus. Quia cum prædicatur est dulcis, et cum facere cœperimus quod ibi scriptum est, sine amaritudine pœnitentiæ facere non possumus. Et cum hanc Scripturam observamus et recte intelligimus, et recte toto corde laboramus, et oramus panem nostrum quotidianum, petimus, accipimus, et manducamus. Tunc et nos integri, et librum integrum manducamus; et corpus nostrum, quod est corpus Christi cum Christo capite jungimur qui integer et perfectus, et cum illo una persona sumus. Nam si de tribus substantiis Christi unam subtraxeris, id est, non eam esse Christum dicis, totum Christum negas, negas Patrem et Spiritum sanctum. Et cum in unam substantiam Christi offendis, offendis in Deo, quia Deus est Christus. Et cum in Deo offendis, amplius quod offendas non habes. Sed tunc offendis Deum,

quando hunc librum non manducas. Quod si in A Evangelio non offenderis, quod corpus est Christi, nec in Christo offendis, quia corpus ejus manducas.

CXI. Si quando audimus sermonem Dei, et sermo Dei, et caro Christi, et sanguis ejus in auribus nostris infunditur. Et nos aliud cogitantes, in quantum periculum incurrimus? et saporem illum dulcedinis quam gustamus perdimus, et non sapit sicut est. Et actione qua fuerit mens nostra occupata, ut puta in cibo lautiore aut in potu, aut in vestimento, aut in qualibet re corporali, quod æternum est, talem saporem nobis facit in palato cordis nostri ipse sermo divinus, qui est panis noster, qualis et ipsa actio est mentis nostræ. Sic enim tradunt Judæi quoniam manna quando comedeabant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic sapiebat in ore. Verbi causa. Qui manna comedeabant, si desiderabant poma, si uvam, si cucumeres, si cepas, si allia, si panem, si carnes, secundum qualitatem et voluntatem comedentis, ita sapor in manna erat: sic et in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est, Scripturarum sanctarum interpretatio, sicut volumus, ita et cibum accipimus. Si spiritus es, inuenies refrigerium, quia manducas adipem pinguisimum, quod est Divinitas, et impinguas temetipsum. Si peccator es, aut superbus, et cætera, quæ non pertinent ad spiritum, inuenies tormenta. Hic liber ipse Christus est intus et foris scriptus, de quo Apocalypsis Joannis dicit: *Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signa ejus? Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque sub terra aperire librum, neque respicere illum. Et ego, inquit, flebam multum, quod nemo dignus inventus est aperire librum, neque videre illum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne flevieris, Joannes: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et septem sigilla ejus (Apoc. v, 2-5).*

CXII. Angelus fortis qui clamabat, omnis Scriptura sacra erat. Unus de senioribus, qui Joanni, *Noli flere*, dicebat, totum corpus prophetarum erat, qui consolabantur Ecclesiam, quam Joannes in sua persona præfigurabat, quod solus Christus de tribu Juda, radix David, redimeret eam. Nam nullus alter inventus est, neque angelus in cælo, neque homo vivens in terra, neque sepultus sub terra, qui possit solvere hunc librum signatum sigillis septem, et aperire Scripturas bibliothecæ. Ubi est Elipandus, qui Christum sibi similem fingit et dicit: « Et Christus adoptivus, et nos adoptivi. Et ille Christus, et nos Christi. Et ille parvulus, et nos parvuli. Et ille servus, et nos servi. » Hic dicit: Nullus est inventus, qui dignus sit aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Quo modo est adoptivus cum adoptivis, qui unus liber est? An forte duos libros credis, unus qui litteras contineat, alter qui intellectum? Sed hic nos non poteris eludere, quia unus [Leg.

nullus] liber sine littera est, et nulla littera sine intellectu. Et littera in libro aperto legitur, ut quod legitur intelligatur. Et cum intellexerit, jam gaudet, quia quod foris legebat intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam et litteram concidit, intellectum litteræ concidere non potuit. Et tamea et littera exterius et intellectus interioris unus liber est, et sine utroque esse non potest. Tunc si prævalēs, separa. Sed plane hoc facere non poteris. Sic est Christus liber noster exterius pagina; et littera quod est homo, corpus et anima. Intus divinitas, tanquam intellectus in littera. Quem librum Judæi concidere potuerunt, intellectum tamen, quod est divinitas ejus, nec concidere, nec separare potuerunt.

CXIII. *Septem signacula* hujus libri erunt. Primum, corporatio in utero Virginis. Secundum, natiuitas. Tertium, passio. Quartum, mors. Quintum, resurrectio. Sextum, gloria. Septimum, regnum. Hæc ergo signacula Christus, dum pro homine cuncta complet, omnia quæ in Scripturis erant clausa atque signata aperuit atque designavit. Hic est ille: *Liber intus et foris scriptus*. Hic secretus et publicus. Hic apertus et occultus. Hic superioribus paginis videndus, interioribus non videndus. Foris comprehensibilis, intus incomprehensibilis. Foris scriptus est, cum propheta dicit: *Vidimus eum, et non erat aspectus*. Intus scriptus cum ipse propheta dicit: *Generationem autem ejus quis enarrabit?* Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Intus scriptus est, cum Propheta dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum*. Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*. Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Foris scriptus est, cum Filius dicit: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* (Psal. xxi, 2.) Intus scriptus est, cum ipse Filius dicit: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, id est, longe a divinitate injuria humanitatis. Foris scriptus est, cum evangelista ait: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*. Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Ex utero ante luciferum genui te*. Foris scriptus est, cum propheta dicit: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Intus scriptus est, cum evangelista dicit: *In principio erat Verbum*. Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel (Isa. vii, 14)*. Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Qui me videt, videt et Patrem meum*. Foris scriptus est, cum Mattheus dicit: *Christi autem generatio sic erat. Cum desponsata esset mater ejus Maria Joseph*. Intus scriptus est: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Quid utique habens, nisi Verbum Deum? Verbum carne factum in muliere, factum sub lege.

CXIV. Foris scriptus est, cum apostoli, interrogati quis esset Dominus, dicerent: *Prophetam, alii Isaiam, alii Jeremiam, alii Joannem Baptistam, a ii*

autem unum ex prophetis. Intus scriptus est, cum Petrus exclamat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Foris scriptus est, cum ad Lazarum lacrymatur et ubi posuissent eum interrogat. Intus scriptus est, cum voce magna clamat: *Lazare, veni foras*. Foris scriptus est, cum Martha dicit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Intus scriptus est, cum Dominus dicit: *Resurget frater tuus*. Foris scriptus est, cum Martha hæc dubitat credere, cum dicit: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Intus scriptus est, cum Dominus dicit: *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet*. Tunc cognovit mulier sapientiam quæ latebat in libro. Exclamavit ut Petrus, et dixit: *Credo, Domine, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti*. Foris scriptus est, cum cæcus transeuntem clamat, ut videat. Intus scriptus est, cum stat. Foris scriptus est, cum ex sputo lutum facit, et linit oculos ejus. Intus scriptus est, cum lavit, et vidit. Foris scriptus est, cum ipse cæcus eum prophetam esse dicit. Intus scriptus est, cum eum Filium Dei credidit et adoravit. Foris scriptus est, cum Joannes dicit: *Ecce Agnus Dei*. Intus scriptus est: *Ecce qui tollit peccata mundi*. Foris scriptus est. *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*. Intus scriptus est: *Ego testimonium perhibeo quia hic est Filius Dei*. Foris scriptus est, cum Jeremias dicit: *Quasi agnus mansuetus portatus ad victimam*. Intus scriptus est, cum idem dicit: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius præter eum*. Foris scriptus est, cum ipse dicit: *Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est*. Intus scriptus est, cum ipse de se dicit: *Ego sum Alpha, et Omega, principium et finis*. Foris scriptus est, cum idem dicit: *O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et Filius quos vult vivificavit*. Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*. Foris scriptus est, cum Filius ad Patrem dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu*. Intus scriptus est, cum per Zachariam ipse de se Filius dicit: *Ecce ego mittam manum meam super vos, et deprædabuntur qui deprædaverunt vos. Et scietis quia ego sum Dominus Deus omnipotens. Et qui misit me Dominus omnipotens est*.

CXV. Foris scriptus est, cum ipse Patri dicit: *Salva me de ore leonis*. Intus scriptus est, cum ipse in Evangelio pro discipulis dicit: *Pater, volo ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum*. Non dixit, *Peto*. Foris scriptus est, cum in navi dormit. Intus scriptus est, cum ventis imperat. Foris scriptus est, cum jejunit et esurit. Intus scriptus est, cum de paucissimis panibus multa millia hominum satiat. Foris scriptus est, cum a Judæis potator vini dicitur. Intus scriptus est, cum de aqua vinum facit. Foris scriptus est, cum dicit: *Pater major me est*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ego et Pater unum sumus*. Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Hic est Filius meus dilectus,*

A in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare*. Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Dicite, filiæ Sion: Ecce rex tuus veniet tibi justus, et Salvator, pauper, sedens super asinum indomitum*. Intus scriptus est, cum idem propheta dicit: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient. Tunc satiet claudus quasi cervus, et clausa erit lingua balborum*. Foris scriptus est, cum ipse per Jeremiam dicit: *Prævaricatione prævaricata est in me domus Juda; negaverunt me, et dixerunt: Non est ipse*. Intus scriptus est, cum dicit: *Si cognovissetis me, utique et Patrem meum cognovissetis*. Foris scriptus est, cum per Isaiam dicit: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: sed Israel me non cognovit: et populus meus me non intellexit*. Intus scriptus est, cum per Salomonem dicit: *Ante omnem creaturam ego ex ore Altissimi processi*. Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussam a Deo et humiliatum*. Intus scriptus est, cum idem propheta dicit: *Oblatus est, quia ipse voluit. Generationem autem ejus quis enarrabit?* Foris scriptus est, cum propheta dicit: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ipsam gentes deprecabuntur*. Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Egreditur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit*. Intus scriptus est, cum angelus Virgini dicit: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*. C Foris scriptus est, cum idem angelus dicit: *Vocabitur nomen ejus Jesus*. Intus scriptus est, cum dicit: *Filius Altissimi vocabitur*. Foris scriptus est: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*. Intus scriptus est: *Et regnabit in domo Jacob in æternum: et regni ejus non erit finis*. Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Parvulus natus est nobis*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Filius datus est nobis*. Foris scriptus est, cum dicit: *Et factus est principatus ejus super humerum ejus*. Intus scriptus est, cum idem dicit: *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis*. Foris scriptus est, cum propheta dicit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis. Spiritus scientiæ et pietatis. Et replevit eum spiritu timoris Domini*. D Intus scriptus est, cum Filius de ipso Spiritu sancto dicit ad apostolos: *Accipite Spiritum sanctum*. Foris scriptus est, cum ipse Filius dicit Judæis: *Si non venissem, et locutus vobis non fuissem, peccatum non haberetis*. Intus scriptus est: *Qui me odit, odit et Patrem meum*. Foris scriptus est, cum idem dicit Filius: *Expedi vobis ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Intus scriptus est cum dicit: *Mittam eum ad vos*. Foris scriptus est: *Ille me clarificabit*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ille de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Foris scriptus est, cum dicit: *Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: ut*

omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Intus scriptus est, cum dicit: *Hæc autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Foris scriptus est, cum angelis, et parentibus minoratur. Intus scriptus est, cum angelorum et hominum Dominus invenitur. Foris scriptus est, cum a diabolo tentaretur. Intus scriptus est, cum ei angeli ministrant. Foris scriptus est, cum eum mater ejus et fratres foris stantes videre quærent. Intus scriptus est, cum extendens manum super apostolos dicit: *Ecce mater mea, et hi fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei qui in cælis est.*

CXVI. Foris scriptus est, cum dicit: *De die autem et hora illa nemo scit, neque angeli cælorum, neque Filius, nisi solus Pater.* Intus scriptus est, cum dicit: *Dies ultionis in corde meo.* Foris scriptus est, cum filiis Zebedæi dicit: *Sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Intus scriptus est, cum dicit: *Sedebitis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Foris scriptus est, cum dicit pro discipulis: *Pater, sanctifica eos in veritate.* Intus scriptus est, cum dicit: *Et ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Foris scriptus est, cum dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Intus scriptus est cum dicit: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Foris scriptus est, cum dicit: *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me.* Intus scriptus est, cum dicit: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Foris scriptus est, cum dicit: *Ego non judico quemquam. Est qui quærat, et judicet.* Intus scriptus est, cum dicit: *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Foris scriptus est, cum dicit: *Omnis qui me negaverit coram hominibus, negabo ego et eum coram Patre meo qui in cælis est.* Intus scriptus est, cum dicit: *Qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cælis.* Foris scriptus est, cum Daniel dicit: *Aspiciebam, et ecce cum nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat.* Intus scriptus est, cum dicit: *Omnis populus, tribus ac linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quod non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Foris scriptus est, cum Isaias dicit: *Ecce intelligit servus meus.* Intus scriptus est, cum David dicit: *Quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Foris scriptus est, cum ipse per Salomonem dicit: *Dominus creavit me in initio riarum suarum in opera sua.* Intus scriptus est, cum dicit: *Ante colles ego parturiebar.* Foris scriptus est, cum apostolus dicit: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Intus scriptus est, cum ipse Filius de se dicit: *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Foris scriptus est, cum Paulus dicit: *Quia Deus Filio suo proprio non*

pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Intus scriptus est, cum idem apostolus de ipso Filio dicit: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei qui dilexit me, et semetipsum tradidit pro me.* Foris scriptus est, cum Filius de se dicit: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Intus scriptus est, cum Paulus dicit: *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsentis sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum.*

CXVII. Et quia una voluntas et una potestas est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et Pater misit Filium, secundum quod minor est: et Filius ipse se misit, secundum quod æqualis est: et Pater tradidit, et dedit Filium, secundum quod minor est: et Filius tradidit, et dedit semetipsum, secundum quod Patri æqualis est. Sed, ut loquebamur, foris scriptus est liber iste, cum flagellatur et cæditur. Intus scriptus est, cum infirmis sanitatem præstat. Foris scriptus est, cum affligitur cruci. Intus scriptus est, cum paradisum latroni promittit in cruce. Foris scriptus est, cum spiritum moriens secundum rationem humanæ carnis emittit. Intus scriptus est, cum in passione sol fugit, dies absconditur, terra concutitur. Foris scriptus est, cum sepelitur. Intus scriptus est, cum tertia die sepulcri liminibus remotis erumpit in lucem. Foris scriptus est, cum apostolis clavorum et lanceæ vulneribus ostensis, escam etiam postulat. Intus scriptus est, cum inter eosdem apostolos clausis ostiis apparet, qui intra se visus non fuisset.

CXVIII. Sed miro modo, cum interior Scriptura libri magis obscura sit, amplius hominum mentes turbat exterior. Et videmus illa quæ videri per hominem non possunt: ita, quæ possunt per hominem videri, nova ratione non vident. Nam et ipsi Manichæi in Divinitatem credunt: æqualem Deo Patri Filium, et eum veram carnem habere non confitentur; et mira perversitate, quod vident negant, et quod non vident confitentur. Invisibilem in virtutibus recognoscunt; visibilem in homine, quod plus possibile esse debuit, non agnoscunt. Sic Elipandus cum sua doctrina æqualem Deo Patri Filium constituit in divinitate, et eum Dei Filium negat in humanitate: et sibi eum similem deputat, et insaniendo in tantam prorupit perversitatem, ut nullam inter se et hominem Dei Filium, Deum verum, differentie faceret distinctionem, cum diceret: « Et ille Christus, et nos christi. Et ille adoptivus, et nos adoptivi. Et ille parvulus, et nos parvuli. Et ille servus, et nos servi: quia non per illum visibilia et invisibilia facta sunt. » Mira perversitate incredulitatis ejus interiorem partem libri constituitur, et exteriorem partem libri negare non erubescit, cum ex utroque unus sit liber. Et cum exteriorem partem libri negat, et interiorem non habet. Quia nullus lector sine libro intellectum interioris libri invenire potest. Nam qui dicit: Solum interior pars est liber, exterior non est; quid iste vult dicere.

videt neget, et illa quæ non videt conlingat, et aperta fronte Ecclesiam illudat? Sed non potest nos illudere, quia libri exteriorem partem nobis relinquit, et ille vacuus abscedit. Ipsi et interiorem partem libri habemus, quæ exteriorem partem tenemus, cum beatus Joannes et invisibilem et visibilem librum, intus et foris scriptum, id est, Deum, et hominem brevi quasi caractere significaverit. Sic enim ait: *Quod fuit ab initio, fratres, quod audivimus. Ecce libri illius interiorem partem. Aperi dante oculos, et vide quid sequitur: Et vidimus oculis nostris, et manus nostræ palpaverunt de verbo vitæ.* Ecce libri pars exterior, quæ oculis et manibus subjecta hominum et videri et tractari potest. Hanc partem libri exterioris Elipandus ignorat. Ille apertus liber est in tantum, ut etiamsi totus mundus in eo voluisset credere, etsi litteras ignorasset, solummodo qui eum imitatus fuisset, nullus perire poterat. Quod si mendacium dicimus, qui apostoli rustici qui in eo crediderunt et eum imitati sunt, nullus ex eis periit, nisi unus filius perditionis Judas, qui eum non Deum sed hominem credidit? Nam cum Dominus diceret et crimen in numeros mitteret, *unus vestrum me tradet*, ut quem remorderet conscientia, penitentiam ageret, omnes tremefacti dixerunt: *Nunquid ego sum, Domine?* Et hoc Petrus dixit: *Nunquid ego sum, Domine?* Jacobus dixit: *Nunquid ego sum, Domine?* Joannes dixit: *Nunquid ego sum, Domine?* Sic et cæteri dixerunt. Judas vero, quantum erat superbus et elatus, despectum habuit Dominum nostrum Jesum Christum. Noluit dicere, *Domine*: sed dixit: *Nunquid ego sum, Rabbi? Nunquid ego sum, magister?* Aperte apparet quod non Christus in eo habitabat, sed ille qui dixit: *In cælum ascendam, super altitudinem nubium ponam thronum meum ab aquilone, et ero similis Altissimo.* Cur despectum habuit dicere Domino Deo, *Domine*, sicut cæteri dixerunt: sed dixit: *Nunquid ego sum, magister?* Viderat oculis suis misellus virtutes et mirabilia quæ fecerat Dominus, et eum Dominum negat ad faciendam.

CXIX. Videat Ecclesia ne forte et Elipandus de ipsa doctrina sit, qui despectum habet hominem dicere Deum. Si Deus servus est, ergo totius Trinitatis servus est, quia Trinitas ipse est Deus. Si Trinitatis servus est, ubi habet Filium Dei, qui natus est de Virgine, quem angelus annuntiavit Virgini dicens: *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Ecce Jesum Filium altissimi Patris, non Filium Spiritus sancti, non Filium Filii, quomodo est tecum servus? Tu si servus Dei es, totius Trinitatis servus es, id est uni Deo, quia tota Trinitas unus Deus. Et Pater Deus est: et Jesus Filius ejus, qui de Virgine natus Deus est, et ipsa tertia in Trinitate persona Spiritus sanctus Deus est. Ecce Trinitatem expressam, et tres personas proprie sibi subsistentes. Jesus Christus, qui de Virgine natus est, non ipse Pater, nec Spiritus sanctus. Solus ipse dixit: *Pater, clarifica Filium tuum.* Hoc non dixit Pater, neque

PATROL. XCVI.

A Spiritus sanctus. Solus Pater respondit Filio: *Et clarificavi et clarificabo.* Hoc non respondit Filius, nec Spiritus sanctus. Solus Spiritus sanctus super Jesum baptizatum apparuit, non Pater, neque Filius. Et hi tres vere tres, quia unum sunt, natura scilicet, non persona. Et ille Deus, et ille Deus, et ille Deus. Et ille omnipotens, et ille omnipotens. Quomodo nunc et ille servus Dei, et tu servus Dei, et ambo unam Deum habetis? Si ita credis ut dicis, non Deum omnipotentem, sed conservum tuum Jesum confiteris; aut certe te exaltas, ut quartus omnipotens sis; aut certe eum humilias, ut similis tui sit.

CXX. Sed licet humilis tibi æstimetur, non potest tibi esse similis, quia et ipsa conceptione humana multum dissimilis tibi est. Ille conceptus de Spiritu sancto, non de virili semine, solus sine peccato. Tu vero de virili semine, de massa perditionis, et concupiscentia utrorumque parentum. Et natus de muliere in peccatis conceptus et in peccatis natus. Ille inter homines solus natus de virgine, et solus sine peccato conceptus, et solus sine peccato natus. Ille solus plenus Spiritu sancto: tu fortasse, aut ego, aut quilibet, si accepimus, de ipso accepimus. Quia sic ille accepit, ut nos omnes de illo accipiamus. Ille ad plenitudinem, nobis vero quantum dare jubet.

CXXI. Sed tu dicis: Ego quod dico, tantum de homine dico. Et ego nunc quod dixi, tantum de homine dixi. Sed neque in quo homo est, nullus angelorum similis ei est; sed neque homo, qui de muliere natus est. Dictum est de Joanne quod *magnus erit coram Domino.* Dictum est de Christo: *Hic erit magnus, sed non coram Domino, quia ipse Jesus est magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: et sapientie ejus non est numerus.* Quomodo poterit esse Jesus Christus cum christis, et adoptivus cum adoptivis, parvulus cum parvulis, et servus cum servis? Tanta controversia, interiorem partem libri unius, quod est incomprehensibile et invisibile comprehendere; et quod est visibile et comprehensibile non videre, sed publice negare. O cæcitas! O ignorantia veritatis! O nimiam elationem et sui damnandam præsumptionem! Isti sunt qui Deo ipsi se præferunt sic credendo. Et si isti in carne constituti adhuc expectant resurrectionem, et spiritualiter se vivere profitentur, qui tantum homines sunt, et a Deo facti sunt: et ista possint habere, post mortem a Deo accepturam: et Deum se hominem facere potuisse non credunt. Minor enim sine dubio ab istis Deus est, si quod isti possunt ille non potuit. Nam si isti possent in carne constituti alienam capere naturam, cur ille in carne positus suam servare non posset, videlicet, ut semper Deus sit, nec corruptelæ admistus carnis humanæ incipiat esse corruptus? Mira disputatio veritatis! dum vult Deum honorare, dijudicat. Majoris enim virtutis est obtinere interna substantia deitatem, quam Deum spiritualiter in deitate durare. Quid ergo mirabor in

Deo, nisi quod cum homo esse dignatus sit, tamen in homine, quod Deus esset, apparuit? Hoc est mirabile, hoc est singulare. Nam hominem tantum credere nihil est admirandum, quia omnes homines tantum homines sunt. Et ideo mirabile non est quia unus alterum de se intelligit quod tantum homo sit. Sed hoc est Christianis mirabile quod homo Deus verus est Jesus, secundum Prophetam dictum, qui ait: *Lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Non quod iste destitit esse quod fuerat: sed quod carnem fecit esse quod Deus est, et vere homo, qui de Virgine natus est, ipse est Jesus Dei Filius, qui sub Pontio Pilato est crucifixus et sepultus, ex utraque natura: non duo, sed unigenitus est Dei Filius. Et ipse qui est unigenitus Dei Filius, ipse est *primogenitus in multis fratribus*. Et quia unigenitus et primogenitus duæ naturæ sunt: sed propter susceptorem suum unigenitum Deum, et ipse homo unigenitus dicitur, quia in eo est unigenitus.

CXXII. Denique diversitas diversarum naturarum in locutione Evangeliorum ostenditur. Fidei igitur nostræ non convenit ut credamus quod Jesus mentitur, quia sine dubio est veritas. Et ex utraque natura ipse constituitur, et ab ipsius ore didicimus quod dicimus. Et utrasque naturas ipse sibi proprio ore manifestavit. Dicit pro divina: *Ego sum*. Dicit pro humana: *Ego sum*. Nonnunquam dicit: *Ego et Pater unum sumus*; divina est. Cum vero dicit: *Ego cum via*. Et, *Ego in nomine Patris mei veni, et non me receperitis*; humana est. Et in illa de se dixit. Sic et cum dixit: *Qui me misit, mecum est, neque me dereliquit*. Et alio loco: *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Et in illa dicit: *Qui me misit*. Et in illa dicit: *Quare me dereliquisti?* In ambas naturas me et me. Nam cum dicit: *Me dereliquisti*, humana est. Quia Deus hominem susceperat, et ipse homo mori habebat. Et divinitas, quæ vita erat, exsul erat a morte. Ideo per mortem crucis relinquendus erat usque ad resurrectionem ipsius. Non quod divinitas relinqueret carnem suam, sed quod non moritura erat cum carne sua. Quia sic in sepulcro carnem suam commendo deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit. Fidel ergo nostræ sic convenit, ut homo Filius dicat: *Quare me dereliquisti?* Et Deus Filius, qui cum Pater æqualis est, dicat: *Qui me misit, mecum est: nec me dereliquit*.

CXXIII. Et cum ex utroque unus sit Filius, cavendum est ne aliquis dicat: Homo mortuus, et Deus eum excitavit. Hoc illi dicant qui secundum carnem eum prædicant adoptivum, et secundum divinitatem proprium. Sed ipse Dominus mendaces eos redarguit, cum Judeis dixit: *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud* (Joan. xi, 19). Non dixit: *Solvite templum quod Pater suscitet, sed Ego suscitabo illud*; quia non est alius qui moritur et alius per quem mortuus resurgit, sed ipse unus mortuus est Christus. Et ipse mortuus et ipse sem-

* Videtur deesse negatio non.

A per vivus, quia ex utroque unus est liber intus et foris scriptus.

CXXIV. Foris scriptus est, cum ipse per David dicit: *Ego dormivi et quievi*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Et ego resurrexi*. Foris scriptus est, cum ipse de Patre dicit: *Quoniam Dominus suscitavit me*. Quia et Pater eum suscitavit, in quo minor est Patre. Et Filius ipse se suscitavit, in quo æqualis est Patri. Sicut et ipse se misit, in quo æqualis est Patri. Et Pater eum misit in hunc mundum, in quo *minaratus* venit *paulo minus ab angelis*. Sic et cætera hujusmodi similia debet scrutator sanctarum Scripturarum interpretari testimonia, ut ex utraque substantia nunquam dividat personam. In Domino igitur Jesu Christo Deo et homine, auctore ac redemptore nostro, sicut unam absque dubitatione personam, ita duplicem constat esse substantiam: quam sermo divinus singulariter in lege distinguens, ita loquitur ad Judeos, cum ritum carnalium sacrificiorum cum mysticis ac spiritualibus traderet sacramentis: *De agno cum capite et pedibus comedetis, et intestina ejus vorabitis*. Ad hæc si exteriorem litteræ sonum interrogas aut intelligas, indignum tantæ majestatis præcepto fui, ut vilissimos edacis populi cibos caput cum pedibus conjungi et intestina purgari Spiritus sanctus ordinaret. Et ideo nunc intestina ipsa, id est latentia, interrogamus. Sub litteræ carne mysteria. Agnus ille est absque dubio, de quo Joannes Baptista pronuntiat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. In quo agno per caput divinitatem, per pedes humanitatem oportet intelligi. Da in symbolo capitis eminentiam. *Credo*, inquit, *in Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum*. Da terrenam in pedibus humilitatem. *Qui conceptus est de Spiritu sancto. Natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus et sepultus*.

CXXV. De quibus absque dubio pedibus sapientia Salomonis insinuat: *Et figulus, inquit, pedibus vertens rotam* (Sap. xv, 7). Et quid est figulus, nisi ille qui nos de terræ plasmatore limo esse jussit ex nihilo? Quid pedibus, nisi assumpti hominis disciplinis orbem totum ad salutaria instituta convertit? De qua rota in psalmo legimus: *Vox tonitruus tui in rota*, id est per rotam mundi vox Evangelii procurrit. De qua humana substantia in sexagesimo septimo psalmo: *Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*. *Ut intingatur*, inquit, *pes tuus*, id est, homo assumptus in sanguine. Non enim natura celestis crucis sensit injuriam, sed per conditionis humanæ in sanguine passionis intinctus est. In illo enim patibulo nihil pertulit Deus patenti sensu, sed pertulit compatiens affectu. Nihil pertulit pro diversitate, sed pro unitate personæ. Nihil Deus pro infirmitate passus est, sed pro dignatione compassus est: Qui tibi esurienti alimoniam porrigens, per Evangelium clamat de cælo: *Esurivi et dedistis mihi*

manducare, citivi et deditis mihi bibere. Quia capat se in membris suis pasci atque vestiri, pro personæ, ut diximus, unitate pronuntiat. Ut latinus, iuquit, pes tuus in sanguine; lingua canum tuorum ex istimicia ab ipso.

CXXVI. Quando vel quomodo lingua canum Christi tincta est sanguine, scire debemus. Canes itaque Judæi sunt, qui contra veritatem blasphema voce latrabant. Quorum lingua canum tunc absque dubio sanguine tincta est Salvatoris, quando furente in se diabolo clamaverunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* De quo Dei sanguine sub certo Dei hominique discrimine, in apostolorum Actibus legimus: *Attendite vobis et universo gregi vestro, in quo vos Spiritus sanctus posuit apostolos regere Ecclesiam Dei.* Et cujus Dei Ecclesiam subsequens sermo demonstrat, ita dicens: *Quam acquisivit sanguine suo.* Aperte hic, sub nomine deitatis et sanguinis, cœlestia et humana sociavit. Ecce agnum figuraliter Christum pronuntiat Scriptura sacra. Et in capite agni divinitatem Christi, et in pedibus agni humanitatem Christi intelligere Spiritus sanctus præordinavit. Et unus agnus, qua temeritate dividitur a te? Si secundum caput est alter agnus, et secundum pedes alter, quomodo est unus Agnus, qui tollat peccata mundi? Nam si dividis eum, jam nec duo agni sunt, nec unus. Jam in hoc agno non poterit illudere Ecclesiam Dei. Aperte lupus apparuisti, quia agnus te superavit. Agnus iste vires tuas confregit. Agnus iste prædam quam tenebas excussit, et argumentationes philosophiæ tuæ simplicitatis suæ innocentia omnino delet. « Iste est Agnus immaculatus, qui quotidie, ut beatus Andreas ait, in altare crucis sanctificatur. Cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, et ejus sanguinem hiberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. » Et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes ejus sint manducate a populo, et vere sanguis ejus sit haustus, tamen, ut dixi, integer manet, et immaculatus, et vivus. Tu vero, supra quam fecisti, non divides Agnum.

CXXVII. Sed si vis dicere quomodo quotidie occiditur, aut quomodo caro ejus quotidie comeditur et sanguis ejus bibitur, et quotidie vivit occisus, assume formam discipuli, ut possis doceri quod quæris. Quod si hoc abusive, ut consuetus es, tuleris, non agnum, sed temetipsum dividis. Nam cum hunc Agnum Ecclesia in medium protulerit, et tu dixeris: Adoptivus est secundum pedes et nequaquam secundum caput, jam hic illusio tua non valebit. Quare? Quia una persona et unus Agnus non poterit ex parte esse proprius Filius, et ex parte adoptivus, id est, ex parte filius et ex parte non filius, et ex parte Deus et ex parte non Deus. Non divides, non rumpas, non scindas. Omnibus integer abundat. Omnibus solus sufficit. Et tamen licet dividere coneris, eum dividere non poteris. Inseparabilis unitio est. Talis facta est illa sus-

ceptio, quæ Deum hominem fecit, et hominem Deum, et ex utroque unum Christum. In his duobus substantiis venturum ad terram Deum Isaias propheta eximius protestatur: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.* De homine vero mox subdidit: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Quia utique in Mariæ virginis corpore mundissimam terram cœlesti germine fecundavit. Beatus quoque Job, qui non solum adesse præsentiam Redemptoris, sed etiam passionis præsignavit, ita dicit: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Dominum (Job xix, 26; 27).* Quæ sententia duplicis intelligentiæ luce præfulget, id est, in Christo et Ecclesia Job præfiguravit Ecclesiam: et in carne sua repromittit resurgere, et Deum hominem factam in carne sua, qua ipse erat, cognoscere. Quis sicut caro Job nullus alter erat nisi Job, ita caro Dei Verbi nullus alter erat nisi Deus. *In carne mea videbo Dominum,* id est, in carne in qua sum, in ea resurrecturus sum. Hoc enim sequens sermo confirmat, dicens: *Quem videbo ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt.* Hoc in sua persona de tota Ecclesia dixit, quod futurum adhuc post resurrectionem erit. De Christo vero, quod suam carnem in eo recognosceret, et carnem et divinitatem unum Christum Deum agnosceret, superior intellectus hoc continet, quod *in carne sua,* id est, in fragilitate conditionis suæ, hominem Deum videret.

CXXVIII. Hanc ergo diversitatem ex hoc quoque intelligere apertum est. Alia est enim illa nativitas vel natura, in qua, juxta Apostolum, *factus ex muliere, factus sub lege;* alia, qua *in principio erat Verbum,* Deus apud Deum; alia, qui creatus ex Maria humiliatur in terris; alia, in qua sine initio manens, creavit cœlum et terram, secundum quam regulariter intelligitur Christus, quæ omnia quidem ipse est per similitudinem, sed non omnia ipse est per proprietatem. Trahit enim nomen species de inferioribus rebus, ut factius intelligatur. Dicitur enim modo leo, modo agnus, modo panis, modo vitis. Sic et cætera, id est, flos, vitula, ostium, petra, mons, lapis singularis, lapis offensionis, fundamentum, ovis, aries, hædus, vitulus, serpens, vermis, aquila. Hæc omnia Christus secundum similitudinem intelligendus est, non per proprietatem. Proprietatem, si quæras a me, quid sit Christus; Deus et homo est, una persona. Quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ecce suam proprietatem.

CXXIX. Si quæras a me de ejus incarnatione, dicimus suam proprietatem. Filius unicus est de Patre in æternum ab æterno genitus, æqualis genenti, per quem facta sunt omnia: cum Patre incommutabilis et accepta forma hominis non mutatus. Ex incarnatione filius hominis, et Filius Dei. Hoc totum quod dixi, non similitudo, sed res est: id est, per proprietatem Christus Dei Filius

est. Nam illa quæ supra memoravimus, similitudines Christi sunt, non ipse Christus est. Per similitudinem Christus multa est quæ per proprietatem non est. Si autem proprietates discutiatur rerum quas videre consuevisti, nec leo est Christus, quia fera non est. Nec agnus est, quia pecus non est. Nec panis, quia de herba natus non est. Nec vitis, quia arbor non est. Nec flos, quia semen herbæ non est. Nec via, quia animalia bruta per eum non ambulant. Nec ostium, quia non eum faber fecit. Nec mons est, quia sylva non est. Nec petra est, quia durus et sine sensu non est. Nec lapis angularis est, quia non ab instructore compositus est. Nec lapis offensionis est, quia non viam occupavit. Nec ovis est, nec aries, quia pecus cornutam non est. Nec hædus est, quia de capra non est. Nec vitulus, quia de vacca non est. Nec serpens, nec vermis est, quia reptile non est. Nec aquila est, quia volatile non est. Dicitur et pastor per similitudinem et liber; sed pastor non est, quia custos ovium quadrupedum non est. Nec liber est, quia non ex pellibus ovium ab scriptore compositus est. Sic et cætera hujusmodi similia, quæ per ista parva prudens lector intelligere quærat [*Fortè, queat*] quid sit Christus per proprietatem, aut quid intelligatur per similitudinem.

CXXX. Nam leo dicitur pro regno et fortitudine. Agnus propter innocentiam, quia mansuetus venit. Dicitur enim panis, quia caro est. Vitis, quia sanguine ipsius redempti sumus. Flos, quia electus est. Via, quia per ipsum ad Deum imus. Ostium, quia per ipsum ad Deum ingredimur. Mons, quia fortis. Petra, quia firmitas est credentium. Lapis angularis, vel quia duos parietes * *edificat*, id est, Judaicum populum et gentilem ad fidem venientes in unam fabricam Ecclesiæ jungit; vel quod pacem in se angelis et hominibus facit. Lapis offensionis dicitur, quia veniens humilis offenderunt in eum Judæi, vel increduli homines, et factus est *petra scandali*, sicut dicit Apostolus: *Judæis quidem scandalum*. Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo firmissima est, vel quia per eum Ecclesia catholica constituta est. Ovis, propter patientiam. Aries, propter principatum. Hædus, propter similitudinem carnis peccati. Vitulus, pro eo quod pro nobis est immolatus. Serpens, pro morte et sapientia. Vermis, quia resurrexit. Aquila, quia post resurrectionem ad astra remeavit. Pastor, quia custos hominum. Liber, quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. In sapientiâ intelligitur omnis plenitudo divinitatis, id est, sua et Patris et Spiritus sancti. In scientiâ intelligitur omnis plenitudo humanitatis nostræ, quam ipse solus Filius suscepit ex Virgine, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Nam cum plerique legunt huic librum, et omnes audiunt, multi multa de eo suspicantur, et diversa

* Videtur a *dominio*, quod est *administro, rego, ordino, dispono*, derivasse *ἰδιώτης*, et Latinis characteribus, *edificatio*.

A intentio est. Et porro pauci intelligant, nec intelligent omnes impii. Porro docti intelligent, quia clausus liber est, et signatus, et publice, et manifeste apertus. Et nisi se ipse exposuerit, nullus eum poterit intelligere incredulus. Credentibus enim aperitur, et non credentibus clauditur. Hinc per Danielelem dicitur: *Claude sermonem, et signa librum*. Per Joannem quoque in Apocalypsi, in prima parte libri dicitur: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et ne ea scripseris*. In fine vero libri ait: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*. Quid hoc est, nisi quod appropinquante mundi fine superna scientia aperitur, et proficit, et latius cum corpore excrecit?

CXXXI. Hinc namque per Danielelem dicitur: *Pertransibunt plurimi, et multiplex eris scientia*. Jam et sicut supra diximus, Joanni in propria parte revelationis angelus dicit: *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua*. Cui tamen revelationis ejusdem fine præcipit dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*. Ecce librum, et signatum, et clausum et revelatum, manifestum atque apertum, et non signatum. Pars quippe revelationis in capite libri signari præcipitur, finis vero libri signari prohibetur. Quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ prædicatione in primordiis latuit, finis quotidie ostendit. Quia sicut uniuscujusque hominis ab infantia usque ad senectutem ætas describitur. Parvula quippe tunc erat, cum a nativitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur: *Soror nostra parvula est, et ubera non habet*, quia nimirum sanctæ Ecclesiæ priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præberi non potuere ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei Verbo copulata, repleta sancto Spiritu, prædicationis mysterium in filiorum conceptione fetatur, quia quos exhortando concipit in convertendo parit. De hac ejus ætate Dominus dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te*. Universæ quippe Ecclesiæ, quæ unam catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur. Non jam vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam. Non senio steriles, sed ætate mentis ad spiritualem congruæ fecunditatem. Tunc ergo cum in diebus illis Ecclesia quasi quodam senio debilitata, per prædicationem filios parere non vult, reminiscitur fecunditatis antiquæ, dicens illum Job versiculum: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*. Quamvis post eosdem dies quibus deprimitur, jam tamen circa ipsum finem temporum grandi prædicationis virtute roboratur. Nam susceptis ad plenum gentibus, omnem Israeliticum populum qui tunc inventus fuerit, in fidei sinum trahit. Scriptum quippe est: *Donec plenitudo gentium intraret: et sic omnis Israel salvus fiet* (Rom. xi, 25, 26).

CXXXII. Sed ante illa tempora erunt dies in quibus

bus ab adversariis paululum videtur oppressa, cum et dies adolescentiæ reminiscitur, dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Quid in hoc loco tabernaculum, nisi secretum mentis, nisi quietudo animi, nisi vita contemplativa sine persecutione aliqua? Attamen cum in fine sæculi cœperit Ecclesia persecutionibus fluctuare, quietudinem mentis habere non poterit. Tunc reminiscitur illud quod per semetipsam Veritas in Evangelio dicit: Surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi. Nunc autem fideles nostri mira faciant, cum perversa patiuntur; tum autem et perversa patiuntur sancti, et miracula non faciunt. Tunc vero prædicatores Antichristi, id est hæretici, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Proinde nos admonet, dicens: Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est Christus, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. Ac si aperte diceret: Si quis promiserit vobis quod in deserto gentiliam et in philosophorum dogmate Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei polliceantur secreta, nolite exire: nolite credere; sive quia persecutionis et angustiarum tempore, semper pseudoprophetae decipiendi inveniunt locum. Si quis sub nomine Christi se jactare voluerit, non statim accommodetis fidem. Sicut enim fulgor exiit ab Oriente, et parat usque in Occidente, ita erit et adventus Filii hominis. Nolite exire, nolite credere, quod Filius hominis, vel in deserto gentium sit, vel in pe-*

netralibus hæreticorum, sed quod ab Oriente usque ad Occidentem fides ejus, quæ ab apostolis tradita est, in catholicis Ecclesiis fulgeat.

CXXXIII. Nam et hoc prætermittendum non est, sed coram omni Ecclesia tam sapientibus quam rusticis prædicandum, quod secundus adventus Salvatoris non in humilitate, ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaque eum in parvo loco vel in abscondito quærere, qui totius mundi lumen est. De ipso enim legitur: *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante ipsum ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida.* Intellige et hic utriusque substantiæ proprietatem; in veritate assumpti corporis venturus creditur, et Deus vocabitur. Adfuit infirmitate absconditus, aderit in virtute manifestus. *Ignis, inquit, ante eum ardebit; et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Cum talis reverentia præsentis erit futura, puta qualis erit forma sententiæ? Ille quidem redditurus est quod promisit, sed exacturas est quod redemit.

CXXXIV. Et ideo totis per adjutorium suum viribus enitatur ut quidquid contulit judicatus integrum in nobis inveniat judicaturus. Et ideo si cum fide, cum justitia, cum misericordia, cum charitate et cum castitate viventes, in ejus timore manserimus, magis jam numerum suorum pignus tenemus. Dabit absque dubio regnum suum. Dabit quæ sua sunt nobis, qui seipsum dignatus est offerre pro nobis. Amen.

LIBER SECUNDUS.

DE CHRISTO ET EJUS CORPORE, QUOD EST ECCLESIA

ET

DE DIABOLO ET EJUS CORPORE; QUOD EST ANTICHRISTUS.

I. Scripsimus a crimina tua, quibus nos hæreticos et ignaros fidel atque Antichristi discipulos pronuntiare non ceasas, hunc apologeticum; non panegyrico more allocutionis mendacii, nec obscuritatibus fumosorum eloquentiæ sermonum, sed puris sensibus, ut omnes qui audierint intelligere possint. Apologeticum est excusatio in quo accusantibus respondetur in defensionem sui. Et ideo criminantibus respondimus, et nos ab hæresi purgatos, Deo illuminante, invenimus. Panegyricum, et licentiosum et lasciviosum genus dicendi, in laudibus regum, in cujus compositione multis mendacii adulantur. Non enim nos mendacium in apologeticis nostris in laudem cujuslibet regis terreni composuimus, sed fidem veram, quam ab ipsis discipulis Veritatis hausimus.

II. Sed quia libelli tui, in quibus nos hæreticos esse fateris, jam per publicum in diversis terrarum vulgati sunt partibus, ut omnes qui eos legerint secundum fidem tuam, te catholicum Toletanæ sedis do-

ctorem, novellum archiepiscopum, et nos Libaucenses indoctos et hæreticos atque Antichristi discipulos Heterium et Beatum prædicent; et quia ex utraque parte contentio exorta est et fides diversa profertur, non solum fama, sed etiam ignominia nobis a te irrogatur. Fama enim tam in bonam quam in malam partem intelligitur. Ignominia vero nunquam nisi semper in malam partem vertitur. Ignominiam dictam, eo quod desinat habere honestatis nomen is qui in aliquo crimine deprehenditur. Dicta est autem ignominia quasi sine nomine, sicut ignarus sine scientia, sicut ignobilis sine nobilitate. Hoc quoque infamia dicitur, quasi sine bona fama. Et ideo ignominiam nobis cum mala fama prædicat, ut sine differentia solus tu videaris in Ecclesia habere bonam famam. Certe tua jam et nostra talis est bona fama; et non ab alio, sed a te solo additum est, et infamiam, id est, ignominiam, ut qui nomen non habuerunt, ad meam comparationem, nomen habere non

* Forte deest ob vel propter.

possunt. Hæc fama est per publicum, et certe sine causa nulla fama potuit esse. Fama autem dicta a fando, id est a loquendo, quia loquendo pervagatur per traduces linguarum perstrepsens auribus audientium. Est autem nomen et bonarum rerum, ut diximus, et malarum. Cum et ista sit utraque fama, sive tua, sive nostra, incerta est. Et ideo fame nomen locum non habet, quia fortasse mendax fama est, adiciens multa, vel minuens de veritate. Veritas enim inter utraque sibi sola sufficit, quia nec addi, nec minui potest. Quæ tandem fatigatur, quousque comprobetur. Et cum probata fuerit, cessat esse, ut exinde res nominetur, non fama. Semper mendax cum mendacio deficit. Non poterit mendax esse absque mendacio, quousque sinxerit mendacium. Nam cum dimiserit mendacium, desinit esse mendax. Mendacium nihil aliud est nisi absentia veritatis. Mendax vero substantia est, mendacium autem non est substantia, sed qualitas in substantia. Omnis ergo substantia quæ a Deo bono creata est, bona est. Vitium vero non est a Deo creatum, sed a diabolo inventum. Nam Deus Pater genuit veritatem Filium: et natus est Veritas de Veritate, id est, substantia de substantia. Et ambo simul una substantia, sicut ambo simul una veritas. Diabolus vero substantia est bona creata, quia omnia quæ fecit Deus bona sunt valde. Arbitrio suo factus est diabolus, non Rei conditione. Ipse est auctor mendacii, quia genuit mendacium. Et quia mendacium genuit, pater mendacii est. Non enim, ut supra diximus, mendacium substantia est, sed tantum qualitas. Solus tamen diabolus substantia est, quia pater qualitatis est, non substantiæ.

III. Et quid est qualitas? Quia facit unumquemque qualis sit. Etenim in corporibus qualitas et quantitas. Qualitas est corporis, quæ facit eum album aut nigrum. Quantitas vero, longum aut brevem. Ac per hoc in corporibus est qualitas, quæ refertur ad colorem; quantitas, ad mensuram. In spiritualibus vero rebus qualitas est sine quantitate, ut cum dicimus: angelus est. Et quia angelorum bonorum et malorum substantia est, discernimus eum in qualitate, cum dicimus, angelum bonum, et angelum malum. Angelus bonus non a se est bonus sicut Deus, sed adherendo bono Deo fit bonus. Angelus autem malus non a bono Deo, sed a se est malus. Quod substantia est, a bono Deo est. Quod autem malus est, a se tantum malus, non a bono Deo malus. Et unde effectus est malus, nisi non adherendo Deo effectus est malus? sicut e contrario angelus bonus adherendo Deo est bonus. Unde ergo non adherat Deo diabolus, ut esset bonus, nisi quia mendax est? Ab initio enim mendax fuit, secundum Domini dictum, et in veritate nunquam stetit. Veritas enim Deus est, ut supra diximus: in qua veritate stare contempsit. Mendacium sinxit, quia quod Deus possidebat per naturam voluit ille hoc apprehendere per rapinam, dicens: *Ero similis Altissimo*. Et ideo mendax, quia de suo dixit, de suo composuit, de suo sinxit, a semetipso didicit quod dixit. Et quia a semetipso didicit, ideo propriam glo-

riam quæsit, quia a semetipso locutus est. Proinde Dominus in Evangelio ait: *Qui loquitur mendacium de suo. Et qui a semetipso loquitur, propriam gloriam querit. Ego non quero gloriam meam, sed ejus qui me misit*. Jam diabolus, qui pater mendacii apparuit, ex ipso mendacio primum in paradiso hominem decepit, dicendo contra præceptum Domini: *Eritis sicut dii, si comederitis de ligno illicito*. Hoc mendacium non ab homine inventum est, sed a diabolo. Jam homo quod fecit non a se didicit, sed a diabolo instigatus accepit. Jam filius diaboli factus est per mendacium, quia ipsum mendacium patrem habet diabolum. Ex hoc mendacium propinatus est genus humanum. Et nunc in Ecclesia omnes qui sunt mendaces, ex ipso spiritu erroris accipiunt, ut sint mendaces. Et qui veritatem proferunt in Ecclesia non a se sunt veridici, sed a Veritate accipiunt unde veritatem proferant.

IV. Jam supra diximus quia veritas Pater genuit Filium veritatem, et hoc quod est substantia Pater genuit substantiæ suæ Filium per quem omnia condidit. Et ideo non est a semetipso Filius Deus, sicut Pater a semetipso est Deus: sed hoc quod est ab alio, id est a Patre, non a se est. Diabolus vero, cum a Deo bono bonus esset factus, genuit mendacium, non naturæ suæ filium quod erat substantia, sed qualitatem in substantia, ut ipsa qualitas non possit alibi accedi, nisi in substantia, quod est bonum. Ac per hoc, bonum potest esse sine malo, malum sine bono esse non potest, quia nullum malum substantia est, nisi tantum privatio boni. Sicut tenebræ nulla substantia est, sed tantum absentia lucis. Sicut mors nulla substantia est, sed tantum absentia vitæ. Sicut famas nulla substantia est, sed tantum absentia cibi. Sicut nuditas nulla substantia est, sed tantum absentia vestimenti. Sic superbia nulla substantia est, sed absentia humilitatis. Sic discordia nulla substantia est, sed absentia charitatis. Sic iracundia nulla substantia est, sed absentia patientiæ. Sic quoque mendacium nulla substantia est, sed absentia veritatis.

V. Dicis certe quod ego sum spiritus ille mendax erroris. Cum hæc dicis, patule datur intelligi quod te veracem esse profiteris, cum ne mendacem dicas. Dicis enim Fidei tuo, quod puto ille tibi jam notuerat: *Sed quia audivi quod præcursor Antichristi in medio nostri apparuit, quia illum jam patum annuntiat, quæso ut perquiras ab eo ubi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax prophetarum qui in eo loquitur, nos sollicitos [certos] reddas.* Multi enim intelligunt, qui legunt nebularum verborum tuorum quæ sub allegoria scribis, ut sit quæstio inter interpretes, et te, tanquam novum prophetam, ænigmatice locutum explanent. Quod si inveneris laudatores tuos qui possint multa opinative configere ut configis, et adulantes, more pænyrico, tibi respondeant solum, quia contra nos, ut agis, agant, doctores peritissimi a te comprobentur, licet mendacium loquantur. Et unde hoc scis quod

præcursor Antichristi sum, qui specialiter a te demotor? Jam dicis: « In medio nostri apparuit. » Et quid est medio vestri, aut quanti estis, in cujus medio sum? Debes nominare et speciem partis tæ, sicut speciem partis Antichristi. Hoc nomen Antichristi unum sonat, sed multi sunt, et in Ecclesia fuerunt, et de Ecclesia exierunt. Nihil enim aliud est nomen Antichristi nisi contrarius Christo. Et cum contrarius invenitur Christo, apparet esse mendax. Et cum mendax apparuit, apparet esse filius diaboli. Et omnis mendax filius diaboli, quia diabolus, ut supra diximus, pater est mendacii.

VI. Requiramus nunc qui est mendax. Joannes apostolus dicat. Sic enim ait: *Omnis qui confitetur quod Jesus non est Filius Dei, mendax est, et ipse est Antichristus.* Tu dicis quia Jesus non est Filius Dei. Et quis est Jesus, nisi homo ille qui de Virgine natus est? Ecce qui hunc Jesum negat esse Filium Dei, Antichristus est, et mendacium loquitur, quia omnes credimus quod Jesus Filius Dei est. Vide tu nunc quis est præcursor Antichristi qui in medio vestri apparuit. Quomodo apparuit qui natus fuit? Antequam nasceretur, præcursor Antichristi. Postquam vero natus fuit, jam non est præcursor, sed ipse est Antichristus. Quid est nativitas ejus, nisi apparitio ejus? Et quid apparitio ejus, nisi manifestatio ejus? Et quid est manifestatio ejus, nisi prædicatio ejus? Antequam prædicaret, præcursor erat Antichristi, quia noluit Christum intelligere ut bene ageret; sed iniquitatem meditatus est in cubili suo, et astitit omni viæ non bonæ. Cum omni viæ non bonæ astitit, sine dubio Antichristi præcursor fuit. Et cum iniquitatem publice prædicat, quam tanto tempore in cubili suo, id est, in secreto cordis sui, meditavit, sine dubio Antichristus est, quia Jesum negat quod Filius Dei est.

VII. Sed forte dicis: Unde hoc affirmas quod Antichristus est? Unde hoc affirmo? audi, quia malitiam non odit. Propheta hoc dixit, non ego. *Noluit, inquit, intelligere ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odit.* Ista tria in mendacio sunt, non in veritate. Jam Antichristus habet antichristos. Nunquid Antichristus aliud facturus est, cum venerit, nisi hoc tantum quod contra Christum dimicaturus sit, et Evangelium ejus non recipiat, et dicat: Ego sum Christus? Jam et tu dicis: « Et nos christi sumus, sicut Christus. » Et Dominus nos admonet dicens: *Exsurgent pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi.* Jam et hoc experimento cognovimus, quia ad hanc vestram veritatis, fidei contrariam a plerique etiam electi, licet ad modicum, turbati sunt. Qui et omnes, cum primitus audivimus, turbati fuimus. Et ideo Antichristi præcursores non sumus. Quin etsi cum Petro erravimus, jam cum eo errata plangimus, et Jesum esse

a Prædicationem, vel simile quid.

Christum Filium Dei publice confitemur. Et qui ita non crediderit ut credimus, ipsum esse Antichristum non dubitamus. Non ipsum per speciem qui venturus est, sed ipsos quos apostolus Joannes dixit: *Nunc in Ecclesia Antichristi multi sunt. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis,* id est, in fide nostra non erant. Quod si fuissent ex fide nostra, permansissent utique nobiscum. Et ideo antichristi appellantur ab Antichristo, id est, contrarii Christi vocantur, quia contra Christum pugnant: Nam sicut habuit mediatores suos christus David, vel ceteros qui christi dicebantur et eum præfigurabant, sic ille filius perditionis Antichristus, qui eum præfigurant et nomen habent Antichristi. Antichristus appellatur, quia contra Christum venturus est. Non quo modo simplices intelligunt, Antichristum ideo dictum quod ante Christum venturus sit, id est, post eum veniet Christus. Non sic, sed Antichristus Græce dicitur, quod est Latine contrarius Christo. *Anti* enim Græce in Latinum *contra* significat. Christum se enim mentietur dum venerit, et contra eum dimicabit, et adversabitur sacramentis Christi, ut veritatis Evangelium solvat, et non recipiat, nisi tantum legem Mosaicam, et populum ad circumcisionem provocet. Nam et templum Hierosolymis reparare, et omnis legis veteris caeremonias restaurare tentabit.

VIII. Sed et ille Antichristus est qui negat Deum esse Jesum Christum. Contrarium enim, ut diximus, Christi est. Sed et ille Antichristus est qui non credit Jesum Christum esse Deum, operibus autem dissentit a Christo. Christum credit fide, sed negat opere. De quibus Apostolus dicit: *Confitentur autem se nosse Deum, factis autem negant.* Nam unusquisque a conditore suo, aut fide secedit, aut opere. Sicut qui fide secedit Antichristus est, ita et qui opere secedit ab omnipotente Deo apostata nominatur, etiamsi in Ecclesia fidem tenere videatur. Omnes enim qui exeunt de Ecclesia, et ab unitate fidei et operis prædicantur, sine dubitatione antichristi esse creduntur. Nos autem, quantum ad rationem fidei nostræ pertinet, ab Ecclesia non exivimus. Quia illa quæ per totum mundum ab apostolis tradita universitas credentium tenet (unde nomen habet catholica), hanc fidem tenemus. Et ubi essemus non habemus. Quando catholicam fidem diximus, id est universalem. Græce enim universitas, sive generalitas catholicon vocatur. Et ideo non potest esse hæreticus qui est catholicus. Id est, non poterit exire ab Ecclesia, qui habet fidem apostolicam quam generalis per totum mundum tenet Ecclesia. Credere se in Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus unicum Deum et Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et de Maria virgine. Hanc fidem quam, Deo illuminante, a suis apostolis traditam accepimus, in Ecclesia catholica tenemus.

IX. Nam non didicit Ecclesia hanc fidem tuam per totum mundum: nec consuevit credere in eum qui de virgine natus est, non per illum facta esse visibi-

lia et invisibilia, sed tantum per illum qui non est : adoptione, sed genere. Nec habet consuetudinem dicere : *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, et in Filium ejus, qui deitatem suam exinanivit; apparuit in mundo per subjectæ creaturæ speciem cum Patre et Spiritu sancto, Abrahæ *in ipso fervore diei*; qui est adoptivus humanitate, et nequaquam adoptivus divinitate. Hæc fides tua est. Nam in toto mundo non est. Quod si verum non dicimus, interrogemus omnem Ecclesiam catholicam, si generaliter per totum mundum talis fides est. Requiritur ordo baptismi, et Symbolum a duodecim apostolis compositum, quem habet Ecclesia traditum, pro quo baptizat filios suos, sine quo non poterit esse baptismum. Requirit et symbolum trecentorum Patrum adversus tuam fidem compositum : et si invenerint de tuis sermonibus, vel unum ibi insertum, nos exivimus ab Ecclesia. Si certe novam habuerint hanc tuam doctrinam, sicut et nobis novella est, tu existi cum tuis ab Ecclesia catholica, quæ generaliter per totum mundum est constituta. Nam tua fides sola aperte cognoscitur in te esse coarctata, et in antro tuæ perfidiæ teneri ligata. Et hæc hæresis te facit esse hæreticum, cum illa non credis quæ credit cuncta Ecclesia per universum mundum. Hæresis enim non substantia, sed qualitas est in substantia. Et non hæreticus facit hæresim, sed hæresis facit hæreticum. Sicut non superbus facit superbiam, sed superbia facit superbium. Et cum dimiserit quam habet superbiam, desinit esse superbus, quia non est ipsa superbia substantia, sed qualitas in substantia. Deus bonus fecit hominem bonam substantiam. Superbia vero qualitas est in substantia de diabolo nata. Quæ dum in homine accesserit, efficitur filius diaboli, quia de diabolo nata est superbia. Et tunc unusquisque deprehenditur esse superbus, cum plus unus alteri major vult esse quam quod est. Et cum major se æstimaverit alteri, perdidit ipsum quod erat, et tunc Deum perdit a quo est. Et cum perdidit Deum, efficit diabolus membrum, cujus et filius est, non natura, sed imitatione. Sic enim auctor suus diabolus bonus erat a Deo bono creatus, Et inde exstitit superbus, quia super voluit esse quam quod erat. Et dum super voluit esse quam quod erat, non solum hoc quod erat perdidit, sed etiam tartari inferni promeruit. Et quia caput est omnium superbiorum, omnes superbos sibi in uno corpore tanquam capiti copulavit et secum in gehennam demersit. Sicut e contrarie Christus humilis humilli Ecclesiæ, quod est caput et corpus, secum ad cœlestia traxit. Nam sicut superbia facit superbium, sic hæresis facit hæreticum. Desinit esse superbus, cum dimiserit quam habet in se superbiam, Desinit etiam esse hæreticus, cum dimiserit quam habet in se hæresim. Semper erit hæreticus, qui semper in se habet hæresim. Sicut semper erit superbus, qui semper habet in se superbiam. Nam hæresis a diabolo inventa est, et de diabolo nata est, sicut et superbia. Et quia est, et substantia non est, et mala

A est, non a Deo, sed a diabolo est. Omne enim quidquid est et malum est, et substantia non est, ex diabolo est. Omnis tamen substantia a Deo bono creata bona est. Et tandiu bona est quousque illa non habuerit quod ex diabolo est.

X. Nam omnia quæ facta sunt a Deo dno sunt tantum, id est, corpus et spiritus. Angelus est spiritus, mundus vero corpus, homo tamen solus ex utraque componitur, id est, corpore et spiritu. Tertia est qualitas angeli et hominis; quæ nec corpus est nec spiritus, et tamen est, quia nihil non est. Quæ et ipsa qualitas non in se est, sed in substantia est, et substantia esse non potest : ut bonus et malus. Hæc qualitas in substantia. Dicimus angelum bonum, et hominem bonum. Dicimus angelum malum, et hominem malum. Aliud est quod sunt, et aliud quod habent. Nam quod sunt, substantia sunt; quod vero habent, qualitas eorum est, per quam discernuntur qui sunt boni, qui mali. Nam angelus bonus dicitur, sed non est ipsa bonitas ipse angelus. Non enim apostata angelus diabolus factus esset, si per se bonitas esset. Angelus enim, ut si bonus, non a se, sed a Deo, habet ut sit bonus. Et aliud est quod substantia est, aliud quod habet bonitatem in se. Sic et homo bonus, aliud est quod substantia est, aliud est bonitas quam habet in se. Deus tamen per se bonus est, quia ipsa bonitas Deus ipse est. Et non est aliud substantia ejus, et aliud bonitas ejus, sicut hominis et angeli, sed ipsa bonitas ejus substantia est. C Omnia opera quæ fecit bonus Deus bona sunt. Et cum in hoc sunt in quo facta sunt, semper bona sunt. Bonitas illa quam ex Deo acceperunt, si non perdidissent, facit ut semper bona sint. Et contra angelus malus et homo malus inde dicuntur quia perdidissent bonum. Angelus substantia est, et homo substantia est. Malum vero non est substantia, sed privatio boni, et a diabolo natum, id est inventum, per quod efficiuntur filii diaboli qui fuerint mali. Quia non, ut diximus, malus facit malitiam, sed malitia facit malum, quia non est ipse malitia, sive angelus, sive homo, qui substantia sunt, sed eam habent in se qualitatem suam per quam videntur esse mali. Et tam angelus malus quam homo malus, utriusque homini faciunt malum. Diabolus semper malus est, quia semper homini facit malum. Homo diabolus est cum homini facit malum.

XI. Nam quod homo malus qui homini facit malum, dicatur malus, Dominus de Juda in Evangelio apostolis dicit : *Nonne ego vos duodecim elegi ? sed unus ex vobis diabolus est*. In Scriptura sacra et homo dicitur diabolus, et diabolus homo. Nam quod diabolus dicitur homo, in Evangelio Dominus dicit : *Inimicus homo hoc fecit*. Cum dormierunt patresfamilias, inimicus homo diabolus zizania superseminavit in agro, ubi Dominus bonum semen seminaverat. Quæ est ergo causa quæ hominem faciat diabolum, et diabolum hominem, nisi quia unum corpus sunt angelus malus et homo malus ? quia utriusque homini facit malum. Corpus diaboli homo. Corporis

caput diabolus est. Non saepe ejus videntur dicta. A membrorum quæ capiti congruunt, et ex nomine corporis intelligitur caput, et ex nomine capitis significatur corpus. Sicut e contrario Christus et Ecclesia est caput et corpus, una persona. Et cum loquitur Scriptura de capite, refertur ad corpus. Et cum loquitur de corpore, refertur ad caput. Sicut Isaias ait: *Induit me vestimento salutis, quasi sponsam decoratam corona, et quasi sponsam ornatam membris suis.* In una enim persona duplici vocabulo nominata et caput, id est sponsum et Ecclesiam, id est sponsam, manifestavit. Istæ autem sunt duæ personæ quæ in omni Scriptura leguntur in Ecclesia, id est Christus et corpus ejus, et diabolus et caput ejus.

XII. Tertia est qualitas, id est, unus bonus, et alter malus. Bonus Christus, et bonum corpus ejus adherendo bono. Malus diabolus, qui factus fuit bonus, adherendo mendacio. Malus homo, qui factus fuit bonus, adherendo mendacio. Hæc qualitas inter utrosque jungit utrosque, id est, duas substantias, angelum et hominem, ipsum mendacium facit in se unum. Proinde opposuit veritas Christus contra mendacium. Humilitas contra superbiam. Charitas contra discordiam. Patientia contra iracundiam. Bonitas contra malitiam. Despectio contra elationem. Parcitas contra avaritiam. Abstinencia contra gastrimargiam. Sobrietas contra ebrietatem. Sic egit bonus medicus, ut calida frigidis, et frigida calidis temperaret infirmis, et ipsis promitteret vitam qui observarent diætam. Et ipsi citius ad sanitatem redirent, qui potiones amaras biberent. Nam et in medicorum carnalium actibus, prius ipsi medici gustant quid ad sanitatem confecerint hominum, et sic ægrotis bibendum offerunt. Sicut et ipse misericors medicus fecit, qui corpus et sanguinem suum, medicinam nostram, quam pro nobis aptavit, prius ipse amaritudinis calicem gustavit, et nobis bibendum ordinavit, et diætæ observationes reliquit, quos secum vivere prævidit.

XIII. Videamus nunc qui sunt ipsi. Non omnes ægroti salvi per curam fiunt, nisi tantum ipsi qui morituri non sunt. Nam morituris dicit medicus: Manducet et hibant quod volunt, quia vivere non possunt. Ipsi sunt qui peccare possunt, et poenitere non possunt. Quod si delicati non essent ad poenitendum, cito redirent ad sanitatem, si biberent amaritudinis poculum. Et viverent sine dubio, et essent sani cum medico, si quantum fuerat in peccando abruptæ mentis intentio, tantum fuisset in lamentatione plena devotio; et insuper medici observaret diætam illam, quam supra ejus proposuimus exemplo, id est, cum omnibus discordantibus pacem, omnibus superbis humilitatem, omnibus iracundis patientiam, et cætera, quæ supra memoravimus. Ista contraria, quæ ex diabolo sunt nata, pro quo possit diaboli mortem evadere, et Christi observare dicta, et cum suo medico semper vivere, qui est vita. Nam

* Γαστριμωρία, gulositas.

sicut diabolus est substantia, et homo substantia; et mala, quæ ex diabolo est, id est, hæresis, superbia, elatio, et cætera, quæ sunt inter hominem et diabolum media, et tenentes ea, fiunt cum diabolo caput et corpus una persona. Sic e contrario Christus substantia est, et homo substantia est, et illa qualitas, cum qua Christus in hunc mundum venit, id est, humilitas, patientia, obedientia, et cætera, quæ de ejus exemplo sunt, qui eam tenuerint. Jungit hæc observatio caput et corpus, et fit Ecclesia cum capite unus Christus. Et hoc est in omni Scriptura lectoris intellectus, ut tantum duo sint inter se contrarii, Christus et diabolus. Et sunt duæ civitates: una Dei et altera diaboli, una terrena, altera cœlestis. Cœlestis est Christi, terrena vero Antichristi. Habuit Christus suos prophetas, qui eum prædicaverunt venturum. Habuit et Antichristus suos prophetas, sacerdotes falsos in lege, qui eum crucifixerunt, dicentes: Non est ipse. Habet nunc Christus discipulos suos in Evangelio, qui dicunt: Ipse est, et non alter. Habet et Antichristus prædicatores suos in Evangelio, qui dicunt: Non est ipse. Qui dicunt ipse est, et non alter, corpus capitis est qui cognoscit caput, id est, corpus Christi est, quia cognoscit Christum. Et qui dicit: Non est ipse, corpus diaboli est, quia cognoscit caput, qui separavit corpus suum a corpore Christi, sicut ipse caput separatus est.

XIV. Sacerdotes Judæorum in lege non cognoscentes Christum quod ipse esset Deus redemptor mundi caput Ecclesiæ, occiderunt caput. Nunc sacerdotes Christianorum in Evangelio non cognoscunt corpus, quod sit summi capitis corpus, occidunt Christi corpus. Et tam illi sacerdotes in lege qui occiderunt caput, quam etiam isti in Evangelio sacerdotes qui occidunt capitis corpus, utrique prædicatores Antichristi sunt, quia utrique de una schola sunt, utrique de una doctrina sunt, utrique de uno spiritu loquantur. Unus spiritus est caput eorum mendax, cujus et ille corpus est. Jam supra diximus quia quod facit caput diabolus, refertur ad corpus ministrorum suorum. Et quod facit corpus ministrorum diaboli, refertur ad caput. Et cum patitur caput Ecclesiæ, refertur ad corpus. Et cum patitur corpus, quod est Ecclesia, refertur ad caput. Ecclesia certa est de Christo capite, cujus est corpus, quia mediator est Christus. Et ideo non dubitat de Christo, etiamsi necesse sit sanguinem fundere pro Christo. Diabolus vero non est mediator corpori suo: qui adhuc non ingressus est hominem illum damnatam, pro quo sit visibilis mediator ipse filius perditionis inter diabolum et genus humanum: sed habet falsos prædicatores suos hæreticos, qui flagunt sub nomine Christi Christum, qualem sibi inspirante diabolo fluxit, non qualem Veritas dicit. Est corpus diaboli, et tamen sub nomine falsitatis Christum prædicat, et Christum se colere mentitur, Et quia de sapientia se glorificat, contra Christum

agit, quia corpus Christi detrahit. Et cum detrahit, crucifixit. Et cum crucifixit, non cognoscit. Et cum non cognoscit corpus, non cognoscit caput, cuius est corpus. Et cum occidit corpus, occidit caput. Non adhuc occidit corporaliter corpus, sed spiritualiter. Et tunc occidit corpus Christi, quando per philosophiam suam mentes fidelium conturbat et fidei suae associat. Et hoc maxime mente parvulis qui adhuc lacte utantur, id est, carne et sanguine Christi pascuntur, et necdum ad solidum cibum fidei pervenerunt. Aufert tunc lac, id est, carnem et sanguinem Christi, et praebet suum lac, id est, carnem et sanguinem quam sibi ipsi sinit. Aufert mammas Ecclesiae, id est, duo Testamenta legis et Evangelii; et praebet mammas suas, id est, ad fidem suam perversum et legem et Evangelium exponit, et ad ipsam fidem ipsas Scripturas dirigit in perversitate quam sentit. Et tunc Ecclesia perversitate premitur, cum pravis quibusque praedicatoribus licentia locutionis datur.

XV. Quod longe ante Jeremias intuens ait: *Sed et lamias nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Quid namque lamias, nisi haereticos appellat? humanam quidem faciem, sed belluinam per impietatem caudam gestantes. Qui tunc mammam nudant, quando errorem suum publice praedicant. Tunc catulos lactant, quando male sequaces parvulorum animae, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Huic sensui Joannes in libro Apocalypsis concordat, dicens: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo agni similia, et loquebatur quasi draco: et omnem potestatem prioris bestiae faciebat in conspectu ejus: et facit terram, et eos qui inhabitant eam, adorare bestiam illam priorem, cujus curata est plaga mortis ejus: et facit signa magna, ut ignem faciat de caelo descendere in terram in conspectu hominum, et seducit eos qui in terra inhabitant per haec signa quae data sunt ei, facere simulacrum bestiae, ut occidantur. Et facit omnes minimos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos, ut dent eis notam super manum dexteram, aut super frontes eorum: ut ne quis possit vendere, aut emere, nisi qui habuerit notam, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus (Apoc. XIII, 11-17).**

XVI. Hoc totum quantum corporaliter Antichristi tempore factum erit, tamen in Ecclesia spiritualiter hodie fit. Nam quod dixit: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra*, duas insinuat bestias esse. Bestia enim a *ba* bastando nomen habet. Non enim herbis, sed carne pascitur. Aliam bestiam dixit, sed pro officio, pro actione. Sed tamen una bestia est, quia totum corpus diaboli unum corpus est. Bestia enim omnis omnino populus est, tam pagani quam mali Christiani, qui Christi Ecclesiae adversantur. Nam pagani aperta fronte recedunt a Christo; Christiani vero, sive boni sive mali, una Ecclesia nunciantur. Sed ipsa quae una videtur Ecclesia, tres par-

^a βαρταζω, porto, fero.

tes sunt, id est, una pars ipsa Ecclesia, quae imitatur Christum. Caeterae duae partes sunt quae contra ipsam Ecclesiam pugnant, id est, haeretici, et Christiani mali. Diabolus enim, qui draco dicitur, caput est in tribus partibus, id est incredulus et paganus, et Christianis malis atque haereticis. Nam sicut incredulus, paganus, sive Judaeus, fide recedit a Christo, sic Christianus malus opere a Christo. Quia sicut ille publice negat Christum esse Deum, sic iste publice facit opera mala quae non placent Christo. Et cum una pars fide recedit, altera opere, utraque ab uno Christo separatur. Et quia a Christo separantur, unus corpus capitis diaboli efficiuntur: et cum unum corpus efficiunt, una bestia dicitur.

XVII. Tertia pars est de Antichristi corpore, id est haeretici, quae longe ab illa bestia distant in religione. Illi adulteri sunt, isti virginitatem et castitatem simulant. Illi rapaces sunt, isti sua propria largiri simulant. Illi in comessiones et ebrietates publice vitam ducunt, isti jejuniis et orationibus semelipsum affligunt. Illi intus et foris lupi sunt, isti deforis agni et intus lupi sunt. Hos habet diabolus prophetas suos, quos constituit in Ecclesia de corpore suo; hos habet sub nomine Christi, qui Christum praedicare simulent, et corpus diaboli fiant. Quia mediatorem non habet diabolus, quibus modis de Ecclesia decipere possit, nisi tantum istos prophetas suos falsos, qui Christum publice laudant et publice praedicant, et eum sub nomine Christianitatis Deum esse negant. Quos Dominus in Evangelio *pseudochristos et pseudopphetas* appellat. ^b *Pseudo* dicuntur, quia a se surgunt in doctrina, et praedicatorum sibi nomen assumunt, et ea fingunt de Christo quae a se didicerunt, non a Christo. Ipsi se praeferebant apostolis Christi, quos non approbavit Ecclesia et elegit in apostolatam, sed tantum ipsi se et favor temporalis humanus. Quia cum audiunt se laudari a carnalibus hominibus, existimant se quod eos tales habeat intus Deus. Pro quibus Dominus in Apocalypsi Ecclesiam suam admonet dicens: *Scio opera tua et laborem, et patientiam, et quia non potes portare malos, et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Hoc de ipsis haereticis, falsis apostolis, *pseudochristi* dictis, dictum accepimus sive diaboli. Quia ipsi se doctores asseruerunt veritatis, et sunt auctores pravi mendacii. Bonos se protestantur, sed ipsi deteriores demonis comprobantur. Sed mendacium eorum et perversitatem catholica fides invenit, et per tolerantiam multa sibi met illata ab ipsis sustinuit. *Tentasti, inquit, eos.* Non tentatur, nisi qui intus sunt in Ecclesia. Qui enim foris sunt, sine ullo tentamento foris esse manifesti sunt, nec eos tentare opus est. Intus tentatur Ecclesia, quia intus Ecclesia est haeretica pravitas, a qua vastatur Ecclesia, sicut de ea Dominus in hoc libro dicit: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanae.* Sedes Satanae ipsi *pseu-*

^b ψεύδος, mendacium, falsitas.

doapostoli sunt, in quibus sedet in Ecclesia Christi, et Christus per ora illorum prædicatur, et tamen Christus de eis non loquitur; et apostolos Christi se dicunt esse, et apostoli non sunt, sed deceptos Ecclesiæ sunt, quia non imitantur apostolos Christi, quorum sibi nomen falsitatis imposuerunt.

XVIII. Proinde Apostolus ad Corinthios dicit: *Timeo autem, ne sicut serpens Evam decepit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, ut excidant a simplicitate et castitate quæ est in Christo Jesu. Nam si is qui venit ad vos, et alium Christum prædicat, quem non prædicavi vobis: aut si alium Christum accepistis, quem non accepimus: aut alium Evangelium, quem non recepistis, recte patere mini. Existimo enim nihil minus fecisse me in vobis a magnis apostolis. Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Item ibi contra ipsos falsos apostolos dicit: *Quod autem facio, et faciam, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem: ut qui gloriantur, tales inveniantur sicut et nos. Nam ejusmodi pseudoapostoli operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi; et non miror. Ipse enim Satanas transfiguratur se in angelum lucis. Non est ergo magnum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ: quorum finis est secundum opera ipsorum.*

XIX. Recte ergo hi pseudochristi tertia pars corporis est Antichristi, quæ alia dicitur bestia. Quæ alia non diceretur, si aperte mala fuissent, aut intra Ecclesiam non fuissent, aut sanctitatem religionis simulassent. Proinde dixit: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra: et habebat cornua duo agni similia: et loquebatur quasi draco: et omnem potestatem prioris bestie faciebat.* Id est, prioris populi et diaboli, quem supra diximus quia totum in corpore una bestia est, sed in actionis officio bipartita. *Et illam vidit ascendere de mari: istam vero de terra.* Sed aliud agit mare, aliud terra. Nam mare fluctuat, terra vero quieta est. Mare enim intelligitur populus istius sæculi aperte malus. Terra vero religio est falsa et hæretica pravitas, qui sub nomine sanctitatis non videntur in sæculo fluctuare, sed quasi quietem se agere, pro quo possint Ecclesiam simulare. Illam vidit ascendere bestiam de mare. Id est, populum nasci de populo, quia semper fuit malus populus. Et semper nascitur malus, qui semper dicitur bestia. Sic et aliam bestiam vidit ascendere de terra, non descendere de caelo. Nam Jerusalem cælestis semper de caelo in terra descendet, quia filii sui semper in humilitate nascuntur. Pseudo vero propheta de terra ascendet, quia semper de terreno genere gloriat. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria elevari et sanctitate fulciri. Proinde et bestia est, *et duo cornua agni similia habet.* Id est, duo testamenta legis et Evangelii, per quæ prophetare se simulat ut inter suos agnum se proferat.

XX. *Et loquebatur quasi draco.* Hæc est illa seductio ad Deum. Agnum se profert, quod draconis venena latenter inserat. Agni enim similis non esset,

A si aperte ut draco loqueretur. Nunc agnum se fingit, quo agnum securum defoset (sic). Ad Deum loquitur, sed mendacium, quem sibi fingit, non ea ratione, sicut Scriptura dicit. Ad Deum loquitur, per quod cum querentes a via veritatis avortat. *Hic facturus est signa in conspectu hominum, ut et mortali videantur surgere.* Id est, per ejus prædicationem quasi multi videantur convertere, et a mortis opere resurgere: sed tantum in conspectu hominum illa resurrectio videtur. Nam nullas hæreticorum filias ad fructum boni operis perducitur, qui eos fuerit imitatus. Terrena enim sapientia illorum est, non cælestis; et terras filios generat, cum semen cælestis Evangelii in sensu carnali terreno sensu aspergunt. Propterea Dominus admonet Ecclesiam suam, dicens: *Cavete a pseudopropheta, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Lupi quid significare videantur, debemus advertere. Bestiæ namque sunt, qui insidiantur ovibus que circa pastorales versantur caulas, habitacula domorum intrare non audent. Somnum casum, absentiam aut pigrum explorant. Ovium guttur invadunt, ut cito strangulent. Feri, rapaces, itaque natura corporis rigidioris, ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, et ideo se palliantur. Tunc præterea, si quem priores hominem viderint, vocem ejus quadam natura vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitasse memoratur. Et ideo cavendum mihi est ne si in hodierno tractatu spiritualium mysteriorum gratia non poterit refulgere, lupi me prius vidisse credantur, et solemne vocis externæ auxilium.

XXI. Nonne lupi estis isti qui insidiantur ovibus Christi? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno. Nocturno, quia inter ignorantes prædicant: quod per diem facere non possunt, quia a sapientibus deprehendantur. Nox ignorantia est, et dies sapientia. Semper enim perfidia nox est, qui lucem Christi suis nebulosis interpretationibus obducere et, quantum in ipsis est, fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, id est circa septem Ecclesias. Stabula tamen Christi intrare non audent, id est in Ecclesiam, quæ lux est, intrare non præsumunt. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult Christus eos inducere, in quo curatus est ille, qui *de Jerusalem descendens, insidit in latrones, quem vulneribus alligatis infuso oleo et vino imponens in jumentum suum Samaritanus ille.* id est, Christus in corpore suo, duxit in stabulum, et sanandum stabulario, id est episcopo sancto, dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non aperte detraherent. Explorant pastoris absentiam: et ideo pastores Ecclesiarum vel occidere, vel in exilium mittere contentantur, quia presentibus pastoribus, oves Christi defosare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini rapti pastore conatur, qui corporea atque car-

sea, quia non spiritualia mentis intentione, sed a
duri ac rigidi nequaquam solent a suo errore de-
flectere. Et ideo Apostolus ait : *Hæreticum homi-
nem post unam correptionem devota, sciens quia
subversus est, qui ejusmodi est. Hos Scripturarum
vetus interpres includit, ut inanes suos in vanum
effundant impetus et nocere non possint. Quod si
quempiam versuta disputationis suæ circumscrip-
tione prævenerint, faciant obsanescere. Mutus
est enim qui verbum Dei non eadem qua est glo-
ria conficitur. Cave ergo ne tibi vocem tollat hæ-
reticus, si prior eum non ipse deprehenderit.*
b Scripsit enim dum latet ejus perfidia. Si autem
fraudem ejus impietatis agnoveris, jacturam piæ
vocis timere non poteris. Cave igitur versuta di-
sputationis venena. Animam petant, guttur inva-
dant, vitalibus vulnus infligunt. Graves sunt mor-
tas hæreticorum. Qui etiam, ipsis bestis graviores
et rapaciores, nullum avaritiæ finem impietatisque
noverunt.

XXH. Nec vos moveat quod formam videntur
pretendere humanam. Etai foris homo videtur, in-
tus bestia fremit. *Ex fructibus enim eorum cogno-
scetis eos. Si quis ergo specie movetur, fructum
interroget. Ululat iste Scripturas, non tractat, quia
vocis auctorem negat. Iste est qui eam discipu-
lus cupiebat esse, et non simpliciter, sed fraudu-
lenter Domino ait : Magister, sequar te quocunque
ieris. Ad quem Dominus dicit : Vulpes foveas ha-
bent, et aves cæli nidos, ubi requiescant : nam fi-
lius hominis non habet ubi caput suum reclinet.*
Videbat enim mentem ejus more vulpium tortuo-
sam, et volucres, id est dæmones, in eo demoran-
tes. Sed Dominus non obsequiorum speciem, sed
puritatem requirit mentis. Denique sic ait, cum
parvulum in medio statuit : *Quicumque receperit
puerum istum in nomine meo, me recipit. Et qui
me recipit, recipit eum qui me misit.* Quæ enim
imitatorem Christi recipit, Christum recipit. Et
qui imaginem Dei recipit, recipit Deum. Caput
enim Christi Deus est, id est, divinitas ejus, qui
in tortuosa mente non habitat. Proinde quantum
potest homo sinceram exhibeat fidem, et observan-
tiam mandatorum religiosa mente custodiat, ne di-
catur ei : *Vulpes foveam habent, et volucres cæli
nidos, Alius autem hominis non habet ubi caput
suum reclinet.* Vulpecula enim fallax est et insi-
diis semper intenta, ut rapinam fraudis exerceat :
nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse se-
curum, quod inter ipsa hospitia hominum prædam
requirat, et in fovea semper latere desiderans. Ita
sunt hæretici, qui domum sibi parare non sciunt,
sed circumscriptionibus suis alios decipere conan-
tur. Qui simplicitatem habet, semper domum ha-
bitat, quia semper in charitate est. Hæreticus vero
in fovea est, tanquam fraudulenta vulpes, quia
nunquam est in puritate mentis, et ideo fraudu-
lenta vulpes est, gallinæ illi evangelicæ dolum
a Forte deest capiunt vel quid simile.

semper intendens. Nam de ea Dominus dicit : *Quo-
tus volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos
suos, et noluiti? Ecce relinquetur domus vestra de-
serta.* Vult Dominus hæreticorum filios congregare,
si ad unitatem fidei venirent, sed non congregat,
quia inter se dissidentes diversa sentiendo non con-
cordant. De quibus per Psalmistam dicitur : *Effusa
est contentio super principes eorum : et reduxit eos in
invio, et non in via.* Ipsi etenim dum dispensationem
Domini perverse interpretari non metunt, profecto
plebes subditas non ea via quæ Christus est, sed in
invium trahunt. Super quos recte quoque affusa
contentio dicitur, quia quis sibi vicissim allegationi-
bus contradicunt.

XXIII. Arius quippe tres personas in Divinitate
suscipiens, tres etiam deos credidit. Quem contra
Sabellius, unum Deum suscipiens, unam credidit
esse personam. Inter quos sancta Ecclesia rectum
prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens,
et unum Deum prædicans, tres personas contra Sa-
bellium asserit. Et tres personas asserens, unum
Deum contra Arium confitetur.

XXIV. Elipandus Toletanæ sedis episcopus, ne-
scio qua commixtionis vertigine, tres personas in
una natura deitatis confundit ; et Christum de Vir-
gine natum, non Deum, sed tantum hominem
credit.

XXV. Manichæus autem, qui in sacro eloquio
virginitatem laudari cognovit, conjugium dam-
navit.

XXVI. At contra Jovinianus, qui concedi conjugio
comperit, virginitatis munditiam despexit. Ude fit
ut semper, hæreticis perversa intelligentia confusis,
vicissim sibi eorum nequitia et in culpa concordet
et in sententia discrepet.

XXVII. At contra sancta Ecclesia per medias
utrarumque partium lites ordinata pace graditur.
Et sicut superiora suscipere, ita noverit etiam et
inferiora venerari. Quatenus nec summa æqualia
ponat infimis, nec iterum infima despiciat cum
summa veneratur. Non possunt ergo hæretici in
unum copulari, qui more vulpium inter se dissen-
tientes, diversas sibi fodiunt foveas, qui unam do-
mum Ecclesiam quam habuerant perdidit. Hoc
enim animal nec mansuescit aliquando, neque ullo
usui aut cibo utile est. Sic hæretici, nec man-
suescunt aliquando, nec cibo Domini connectun-
tur. Non enim de his dicit Christus : *Mens cibus
est ut faciam voluntatem Patris mei qui in cælis
est.* Quas vulpes in Canticis canticorum a fratri-
bus suis Dominus ligare mandat, cum dicit : *Ca-
pite nobis vulpes parvulas quæ demoliantur vineas :
nam vinea nostra floruit.* Dicit per parabolam in
Evangelio Dominus : *Cum crevisset herba et fru-
ctum fecissent, tunc apparuerunt sizanix, id est,
proficiente Ecclesia, numerosæ etiam hæreses sur-
reperunt; sed Ecclesia, in fide permanente, quam
prava sentirent investigatæ sunt hæreses. Sic ille
b Forte Serpsit vel Serpit.*

Samson, qui interpretatur sol, captis trecentis vulpibus, earum caudis ignem apposuit, et fructus inimicorum incendit. Semper enim hæretici in primordio conversionis suæ, velut falsa religione conspiciuntur; in extremis suis cum cœperint prædicare, tanquam in cauda ignem trahunt, gehennæ incendio deputati. Et ideo cum Dominus dicit: *Capite nobis vulpes*, ac si dicat: Convincite hæreticos, eorumque versutiam sanctarum Scripturarum concludite testimoniis. Quas *vulpes parvulas* dicit, quia nihil magni, secundum rectam fidem intelligendo, omne quod sapit minimum est. *Demonstrantur vineas*, quia subvertunt plebes, pravis eas traditionibus corrumpentes. *Nam vinea nostra floruit*, id est, Ecclesia catholica indeclinabili augmento profecit.

XXVIII. Bene ergo Scriptura sancta hæreticos homines in uno corpore bestiam dicit, quia hoc quod legendo profert imperitis, quasi ab obtentu rationis inelipit. Sed quia hoc quod legit non intelligit, semper tamen ad irrationabilem sensum tendit; et quasi homo in bestiam desinit, dum sensus ipsius Scripturæ ad intellectum malæ credulitatis exponit. Quod bene hæc bestia duo cornua agni similia habere dicitur, quia simplicitatem agni in exteriori demonstrat homine, et duo testamenta legis et Evangelii unum se nobiscum Christum simulant prædicare. Sed audi qui de eo Joannes dicat: *Et loquebatur ut draco: et omnem potestatem prioris bestię faciebat in conspectu ejus: et facit terram et eos qui in ea habitant adorare bestiam illam priorem, cujus curata erat plaga mortis ejus.* Draco enim, ut diximus, diabolus dicitur. Sic enim draco diabolus, loquendo et nova falsa promittendo; deceptit hominem in paradiso; sic et hæreticus, qui bestia dicitur, loquitur quasi draco, id est, quasi diabolus in paradiso. Nam paradisu nunc Ecclesia est. Seducitur autem verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, et per illam seducitur Adam, non Christus, sed Christianus. Dicit ergo draco ille diabolus ad mulierem: *Cur præcepit vobis Dominus ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Sic hæreticorum curiosa cupiditas, sic pravi prædicatores ad diligendam erroris fallaciam auditorum corda succendunt, quæ in typo mulieris ponuntur, dicentes eis: Quare fugitis scientiam habere latentem et abeconsam? Novam superexquirite, et hui et mali scientiam penetrare.*

XXIX. Unde apud Salomonem mulier illa hæreticorum speciem tenens dicit: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavis.* Subjecti deinde idem draco: *Quocumque die comederitis, statim aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Sic et omnes generaliter hæretici loquuntur quasi draco, cum Divinitatis meritum profitentur, atque scientiæ promissione credunt, et reprehenderunt eos quos simpliciter credentes invenerunt. Et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum adspersionem conantur abducere, ut interior

A oculus excæcetur. Hæc est illa locutio hæretici, qui loquitur quasi draco, et omnem potestatem prioris bestię facit, id est, totius corporis diaboli, hoc est, malorum hominum, quem priorem beatiam dicit, sicut ait: *Et facit terram et eos qui inhabitant in ea adorare bestiam illam priorem; cujus curata est plaga mortis ejus.* Et quia ipsa bestia, quam priorem dixit habere eam capita septem et cornua decem: *Unam ex capitibus ejus vidit quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est.* Ipsum caput bestię velut occisum ipse est omne corpus hæreticorum, qui prædicant Christum crucifixum et simulant se cum duobus cornibus agnum, sed tamen ut draco loquuntur, quia omnem potestatem prioris bestię faciunt. Decem cornua, quod dicit; bestię, decem reges esse futuros in fine mundi Scriptura commemorat, in quos Antichristus undecimus, tribus regibus occisis, cum septem erit regnaturus, quos nunc septem capita nominat. Septimum ergo caput bestię quasi occisum in morte, hæretici sunt, qui Christum quasi agnum occisum cum Joanne prædicant, et eum Filium Dei Deum esse negant, dicentes: Non per istam agnum facta sunt visibilia et invisibilia; quem Joannes digito ostendit: *Ecce Agnus Dei! Ecce qui tollit peccata mundi!* Qui enim hæc dicit, bestia est unum ex capitibus bestię, et non occisum, ut agnus noster Christus, tanquam occisus de furto imitationis Christi, et loquitur quasi draco, et omnem potestatem prioris bestię facit. Quia hunc simulacrum diabolus sibi adinvenit, ut sub nomine religionis non solum carnales, sed etiam religiosos decipiat. Ideo hoc caput dicit, quasi occisum in morte, et plaga mortis ejus curata, id est, quasi Christum crucifixum sequantur. Simulacrum diaboli ideo dicitur, quia cum intus sit bestia, foris se agnum esse mentitur, ad similitudinem agni, quod est Christus. Nam Ecclesia dicit de Christo: *Vidi Agnum quasi occisum.* Et propter septiformem gratiæ Spiritum, ex quo septem Ecclesiæ sunt per dona gratiarum, quæ una Ecclesia est, quæ integrum corpus est Christi, dicit: *Habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi per orbem terrarum.* Quia Ecclesia, quæ Spiritus sancti accepit gratiam, per universum orbem terrarum est constituta.

XXX. De corpore vero diaboli longe aliter dicit D Ecclesia. Nec agnum nominat corpus diaboli, nec cornua septem, sed dicit: *capita septem et cornua decem.* Nam Agnus noster unum caput habet, quia unus est Deus. Caput enim Christi Deus. De diaboli vero corpore dicit: *Et vidi ascendentem bestiam de mari, habentem cornua decem et capita septem: et super capita ejus decem diademata: et super capita ejus nomen blasphemiæ. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo: et pedes ejus sicut ursi: et os ejus sicut leonis. Et dedit ei draco virtutem suam et sedem suam. Et vidi unum ex capitibus ejus, quasi occisum in mortem: et plaga mortis ejus curata est, et mirata est omnis terra secuta bestiam: et adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bestia. Et adoraverunt bestiam.*

dicentes: Quis similis bestia? aut quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei loqui magnam blasphemiam. Hoc totum figuratim intelligendum est in Ecclesia, non sicut auditur. Nam agnus et bestia, sicut invicem sibi contrarii sunt per naturam, ita allegorice intelligendi sunt per figuram. Hic tantum duæ partes sunt intelligendæ, id est, Christus et corpus ejus, et diabolus et corpus ejus. Quæ totam corpus diaboli, quo facilius possit spiritualiter ab Ecclesia deprehendi, omnia membra diaboli in una bestia conclusit. *Hæc bestia in Daniele terribilis dicitur esse cæteris bestiis,* id est, leoni, pardo et urso dissimilis dicitur: et cæjus nomine bestie nuncupetur, non habet. Sed tantum dissimilis cæteris bestiis et terribilis nominatur. Sed vide quantum est foris, terribilis in terrenis, cum dicat terra, id est terreni: *Quis similis bestie, et quis poterit pugnare cum ea? Terribilis cæteris bestiis dicitur et dissimilis.* Sed agnus adveniens adversus eam in certamine surrexit, et moriens prædam excussit. Exerunt et hodie agni pretioso sanguine redempti Agni incontaminati et immaculati Christi, per illum Agnum quem Deus suscitavit a mortuis. Et hic agnus et bestia contra contrarii sibi sunt in Ecclesia. Bestie autem, quæ contraria est Agno, non speciale, sed generale nomen est, et quod multas habeat partes, quæ septem capitibus distinctis scribitur. Sed in narratione pro locis intelligendum est qualem partem bestie dicat, quæ septem capitibus ex uno corpore constat. Aliquando enim diabolus dicitur bestiam; aliquando infideles, id est, sine baptismo; aliquando Christianos malos, id est, vulgarem plebem intra Ecclesiam, qui tantum nomine Christiani sunt, operibus vero bestie sunt; aliquando principes malos; aliquando hæreticos, qui male sentiunt et male prædicant de Christo; aliquando hypocritas, qui simulant sanctitatem, et nec dicunt de Christo, nec scire volunt quid dicant vel credere debeant. Aliquando enim schismaticos dicit qui recte credunt et recte prædicant Christum, sed acissi sunt ab unitate Ecclesie, non corpore, sed animo. Schisma enim a acieura animarum vocata est. Eodem enim cultu, eodem ritu credit ut cæteri religiosi, sed solo congregationis delectatur dissidio, ut cum cæteris communi nullo fulciatur consilio: et totum quod sibi agere videtur, sanctum in suo corde esse putatur. Fit autem schisma, cum dicunt homines: *Justi sumus, nos sanctificamus in mundo, et cætera his similia.* Hoc totum per singula officia unius bestie describuntur capita. Capita dicuntur, quia unusquisque sequitur suæ voluntatis arbitrium. Sola Ecclesia agit cum consilio, ne possit post factum.

XXXI. Quod ut testimonio approbamus, ex multis nam Pauli apostoli proferamus exemplum. Qui ne forte in vacuum curreret aut cæcarrisset, primum apostolorum requisivit Petrum. Per hoc exemplum proficit Ecclesia, quæ est summi capitis membrum. Quæ omnis Christianitas una videtur Ecclesia. Et multi toto mentis ardore bene se laborare putant, sed incertum est utrum Deo placeant. Unus ager est,

sed dormiente patrefamilias, inimicus homo sibi insperavit. Ad quam eradicandam cum discipuli ire se proponerent, Dominus noster prohibet, sibi reservans palearum et frumenti separationem. *Hæc sunt vasa iræ, et vasa misericordiæ, quæ in domo Dei ab Apostolo prædicantur.* Venient ergo dies quædam, thesauri Ecclesie aperto, proferet Dominus vasa iræ sum, quibus exentibus sancti dicent: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Nemo potest Christi victoriam sibi assumere, nemo ante iudicii diem de hominibus judicare. Si jam mandata est Ecclesia, quid Domino reservamus? *Est via quæ videtur esse apud homines recta, novissima autem eju venit in profundum inferni.* In hoc errore iudicii, quæ potest esse certa sententia? Proinde, quia non est certa sententia, debet charitas una. Sed ea ipsa charitas non poterit esse certa, si fides fuerit incerta. Proinde communiter omnis Ecclesia perquirere debet fidem veram, et omnibus modis evitare hæreticorum venena. Non enim sine ratione caput hejus bestie velut occisum scribitur. Bestia itaque quam dicit inter diabolum et Christum personam non habet, qui in solo est vocabulo quod dicant se adorare Christum, qui mortuus est et resurrexit. Hæc bestia cum duobus cornibus ipsa est hæreticorum pars cum omnibus sibi consentientibus, tam fide quam opere. Quæ caput dicitur velut occisum, id est fallaciter Christianum. In quo vocabulo diabolus adoratur, qui hoc simulacrum suis advenit, ut sub nomine Christianitatis maximam partem ab Ecclesia excludat, et capiti suo diabolo conjungat. Et ille habeat corpus, cum quo se et illud ad inferorum tartara tradat. Nos adoramus Agnum, qui occisus est et resurrexit. Illi adorant bestiam, quæ se habet in hujusmodi similitudinem. Tres itaque sunt, id est, diabolus, et populus, et bestia velut occisa, quæ est mediator, in quibus Christus resonat. Et quia ex parte bestie, quando mediam bestiam dicit adorari, in diabolus res cadit, qui suum et hæreticorum locum implet, per quorum os loquitur in Ecclesia.

XXXII. Dicit *super decem cornua decem diadematæ,* hoc est, quod reges suos tam vivos quam mortuos laudant, et veluti in coelum atque inter sanctos translatos esse existimant. Nomen vero blasphemum, quod super septem capita vidit, hoc est, quod se Ecclesiam dicunt et Ecclesiam persequuntur. Draco est serpentis operatio. Rufus, carnis habitaculum, qui draco ipse carnis habitatio est. Decem cornua draconis, virtus est legis alienæ. Draco vero, ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Sathan. Ideo dicitur draco, quia terret. Magnus, quia potens videtur, et exultat in spiritu. Serpens, quia non deprehenditur, sed irreprehensibiliter serpit et fallit. Antiquus ideo vocatur, quia et a principio cepit, et veteris hominis accepit potestatem.

XXXIII. Diabolus ideo vocatur, quia consiliator sibi videtur, et sapit. Et postquam persuaserit hominem, tanquam non suæ persuasionis, sed nostri pe-

tius adami criminatur apparet. Pardus, quia varietatem et fallaciam deceptionis ostendit. Ursus, quia rapinam consuetam et operum malignorum est. Leo vero, quia superbix atque erroris est forma. *Dedit draco bestia virtutem suam, et sedem suam*: quia intra Ecclesiam sunt hæretici, qui Ecclesia videntur esse et Ecclesia non sunt. Et per os diabolus loquitur, quos in Ecclesia decipere vult. *Et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestia? aut quis poterit pugnare cum ea?* Illi hoc taliter non dicunt. Sed dicunt: Quis similis Christo? aut quis illum poterit vincere? Lingua Christum profitentur, sed factis bestiam sequuntur. *Et facit signa magna: ut et ignem faciat de celo descendere in terram in conspectu hominum.* Ignis Spiritus sanctus est, coelum Ecclesia est, terra ipsi sunt quos baptizant, et catervis ecclesiasticis ordines dicit, quæ per ipsos sunt in Ecclesia, per quæ sacramenta ab illis tenetur Ecclesia captiva. Sacramentum baptismatis non solum intra in Ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant, esse quidem baptismum posse, sed extra Ecclesiam catholicam prodesse non posse. Imo sicut intra Ecclesiam recte credentibus per sacramentum baptismatis confert salutem, sic extra Ecclesiam baptizati, si ad Ecclesiam non redierint, eodem baptismate cumularunt sibi perniciem et confusionem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis unitas ad salutem baptismi, ut non salvetur, cui non intra Ecclesiam datur, ubi oportet ut detur. Inesse tamen homini baptismum etiam extra Ecclesiam baptizato, sed maxime ad damnationem ab Ecclesia separato. Sed quia manifestum est, ubicunque datum fuerit hoc baptismum, semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti datum fuerit, venerabiliter agnoscendum, et ab hoc nullatenus iterandum. Et quia omnis Christianitas Ecclesiæ nomen habet; et infideles qui non sunt baptizati, extra Ecclesiam dicuntur, putant se cum audiunt extra Ecclesiam dici baptizatos, quod profidelibus dicatur? Non enim ita intelligendum est, ut tantum duas partes credamus hominum, id est, unam partem baptizatorum, quæ sit Ecclesia; et alteram infidelium, quæ sit extra Ecclesiam: non enim infideles baptismum habent, qui non credunt Christum Filium Dei, sed tantum Christiani habent baptismum. Et ipsa Christianitas quæ baptizata est, altera pars est quæ intra Ecclesiam est. Et illa quæ foris Ecclesia est, in duas partes divisa est, id est, in sacerdotes hæreticos, et in laicos aperte malos. Illa pars quæ Ecclesia dicitur, sancti et fideles sunt, qui pro Christo omnia sua reliquerunt: cui dicturus est in die iudicii: *Vos qui dimisistis omnia vestra, et secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Duodecim sedes dicit, quia omnis omnino Ecclesia, quæ est Christi sanguine passionis tincta, in duodecim apostolorum numero est constructa. Nam sic

est sunt duodecim apostoli in Christo; sicut duodecim horæ diei in sole. Sol Christus intelligitur, secundum Prophetam dictum: *Vobis qui timetis Dominum, orietur sol iustitiarum.* Et tantum ipsis Christianis oritur qui timeant Christum, id est, qui credunt in Christum, et imitantur vestigia ejus. In tantum ut in isto die possint ambulare. Et sicut sol facit duodecim horas diei, et non facit solem, sic Christus fecit et elegit duodecim apostolos: et duodecim apostoli non fecerunt nec elegerunt Christum. Sicut ipse Dominus ait: *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos.* Nunc vero ipsi sunt filii adoptivi qui electi sunt, non ille qui elegit. Et tamen qui elegit et qui electi sunt, unus deus est, unum lumen est. Sol illuminator, et duodecim horæ illuminata a sole. Sic Christus illuminator, et duodecim apostoli illuminati a Christo. Christus est caput, et duodecim apostoli corpus Christi, quod est omnis omnino Ecclesia in duodecim numero apostolorum constituta. Hic est unus deus, id est, una persona Christus et Ecclesia: qui in hoc die ambulat, ipse ambulat intra Ecclesiam. Hos tantum duodecim apostolos, tanquam duodecim horas diei per universum mundum misit Christus, ut omnis multitudo credentium in isto solo ambularet die, id est, in ista sola Ecclesia. Sed nemo creditum ibi potest ingredi, nisi imitatus fuerit apostolos Christi. Et dum imitatus fuerit, sit ipse apostolus Christi, sicut et Paulus apostolus dicebat discipulis suis: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

XXXIV. Jam nunc episcopi cathedras tenent duodecim apostolorum, si imitantur apostolos in fide, et opere, et predicatione: et ipsi Ecclesia sunt, quia in doctrina apostolorum sunt; et baptizata, quæ per manus illorum sunt, ipsi dicuntur baptizati intra Ecclesiam, quia neminem baptizant nisi tantum eos qui nomen suum dant. Quos etiam instruant in fide et opere, qualiter credant et qualiter vivant, ita ut ore proprio profiteantur apostolicum fidei symbolum: *Credere in Deum Patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Deum, et Dominum nostrum: qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine. Et in Spiritum sanctum.* In qua fide baptizati sunt: et abrenuntiant diabolo, et angelis ejus, operibus ejus, et imperiis ejus.

XXXV. Ex ipsis baptizatis alii traduntur scholæ et offeruntur a parentibus Christo, ut possint futuri esse sacerdotes, et serviant Christo. Alii tantum doctrinæ traduntur, ut legant et cognoscant Christum, et accipiant cum benedictione intra Ecclesiam uxores, ut serviant conjugio, quia hoc bonum est et intra Ecclesiam ejus. Sed illud melius est quod sacerdotum est, quod intra Ecclesiam est, et per se Ecclesia est. Sed et ista bona est, quæ nobis martyres et sacerdotes, virgines et confessores generaliter et vivunt conjugati secundum apostolum Paulum, qui dicit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam. consoletur a Domino ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quo-*

quam *duplum* est homini sic esse. *Alligatus es uxori? querere uxorem. Si autem acciperes uxorem, non peccasti. Et si nupsit virgo, non peccavit. Tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque, fratres, tempus breve est. Reliquum est ut qui habent uxores sint tanquam non habentes. Et qui stent, tanquam non stentes. Et qui gaudent, tanquam non gaudentes. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. (I Cor. vii, 25-32).* Conjugati qui hoc præceptum servant Apostoli, intra Ecclesiam sunt, quia sub disciplina apostolorum sunt. Si aliquis inter eos deliquerit, sicut ab Ecclesia excommunicatur, ita et ab eis non recipitur. Decimas suas recte dant Deo. Hospitibus pedes lavant. Pauperibus ministrant. Sacerdotibus honorem impendunt, et facultatulam suam cum ipsis communicant, quia eos futuros heredes habere exspectant. Conjugibus suis non propter libidinem, sed propter procreationem aliorum utuntur. Et cum omnibus hominibus in tanta charitate vivunt, ut monachi esse videntur. Hi in die iudicii a Domino audituri sunt: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me. Nudus, et operuistis me. Infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me. Quia quod uni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Hi sunt fratres Domini, de quibus dicit: *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ille mihi mater, et frater, et soror est.*

XXXVI. Nam si scire vultis quid est voluntas Patris, nihil aliud invenire possumus nisi, ut credamus in eum quem misit ille, id est, credamus Filium ejus Jesum Christum verum esse Deum. Timeamus, amoremus, imitemur et amemus, quia ipse est verus Deus et vita æterna; sicut ipse in Evangelio dicit: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Hic est verus Deus et vita æterna.* Ecce Ecclesia quem credit, ad eum tendit; et quidquid agit, per ecclesiasticam doctrinam agit; et quidquid petit, in nomine Jesu petit, ut cum Jesu æterni sint et intra Ecclesiam baptizentur, in cuius pace perseverant, per quam et salvi sunt. Nam qui contra hanc Ecclesiam agit, salvus esse non potest, nisi ad eam redierit ut per ipsam salvetur. Omnes intra eam salvari credo; extra illam, licet quanta bona quis videatur agere, etiamsi pro Christi nomine sanguinem fundat, salvus esse non poterit, nisi ad Ecclesiam catholicam redierit, quæ sola recte credit Deum et sola diligit proximum, sola patitur pro Christo, sola moritur pro eo. Dominare semper vult vitis, non fratribus. Quotidie legem Dei adimplet, quia quotidie in charitate est. Et quantum plus intelligit, tantum plus laborat. Cum omnibus patitur, quia cum omnibus tristatur. Hæc illa pars non agit, quam supra dixi-

mus, quæ extra Ecclesiam est, id est, hæretici et populus ejus malus, quæ ab eis sacramenta Ecclesie accipiunt, et doctrinam salutis nec ipsi habent, nec illis proferunt. Corpora sunt, sed non se invicem diligunt, quia aversionem habent ab iis quorum membra sunt. De quibus Paulus apostolus Thessalonicensibus narrat, cum putaret quod tempore Pauli esset dies iudicii, eo quod eis scripserit: *Nos qui vivimus, qui relinquitur in adventum Domini, non præveniemus eos qui antea dormierunt (I Thes. iv, 4).* Ad hæc illi conturbati, scripsit eis postea, dicens: *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo. Quia nisi venerit primum discessio, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui observatur et extollitur super omne quod dicitur Deus aut colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Meminisse debetis quia ego adhuc cum apud vos essem, hæc dicebam vobis, et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium operatur iniquitatis.* Ac si aperte diceret: tunc Antichristus manifeste videbitur. Nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultis operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, illa quæ sub specie fiunt, dicam: ecce alius fratri tacitus invidet, et si occasionem inveniat, eum supplantare contendit; cuius alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

XXXVII. Alius se magni meriti esse existans, per tumorem cordis cunctis se preferens, omnes sibi inferiores credit: cuius alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublimis videt, et ipse est rex super omnes filios superbie?* Alius honorem querit, ut cæteris præsit; non quod aliis præsit, sed quod ipse alteri subditus non sit. Cuius alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est qui dixit: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo?* Hanc ergo regulam diabolus instituit membris suis, quod simulacrum sub nomine Christianitatis in Ecclesia fluxit: quæ tamen pars foras Ecclesiam est. Ecclesia dominari non vult, sed servire. Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri sub se [subesse] non possit: quem diabolus imitari perverse voluit, cum suum dominium [dominium] querens, ei subesse recessit. Adipiscere voluit omnipotentiam per rapinam, quam Dominus habebat per naturam.

XXXVIII. Proinde Dominus noster Jesus Christus, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum enutrivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitum inventus ut homo. Et ut nobis humilitatis et charitatis præberet exemplum, non alteros

humiliavit, sed semetipsum. Nam cum esset unigenitus secundum divinitatis excellentiam, et sine fratribus, pro nobis etiam factus est primogenitus secundum susceptionem hominis : in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset primogenitus, de quibus ipse per Prophetam dicit : *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum!* Fratres hic non corporales dicit, sed fratres spirituales. Fratres, de quibus idem Dominus Patri dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Fratres, de quibus loquebatur mulieribus : *Ite, nuntiate fratribus meis.* Vere bonum et vere jucundum habitare fratres in unum! Unum fratrem dimisimus in sæculo, ecce quantos invenimus in monasterio! Frater meus sæcularis non tantum me amabat quantum substantiam meam. Cæterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non quærunt. Sic et in Actibus apostolorum legimus : *Quoniam multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Et erant, inquit, illis omnia communia, quia communem Christum possidebant.

XXXIX. Hanc regulam quam tenet nunc Ecclesia, ab ipso descendit capite, cujus et corpus est secundum Apostolum qui dicit : *Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Corpus illius summi capitis Christi, nos omnes fideles ejus sumus. Per nexus vero et conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, dum manibus digiti sunt conjuncti ac membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur. Sic sancti apostoli, quia Redemptori nostro propinqui exstiterunt, quasi pectus capiti inerant. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachii iuverunt. Hoc vero omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur in cælo, quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur : *Subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Quia Deus omnipotens Redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hoc totum per passionem carnis et compassionem mentis complet Ecclesia. Et cum hic patitur corpus, patitur caput, cujus est corpus, Paulo apostolo attestante qui ait : *Quotidie adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

XL. Dominus ac Redemptor noster cum sancta Ecclesia, quam redemit secundum carnem, una substantia est. Illius capitis corpus Ecclesia est, et hujus corporis caput est Christus. De quo suo capite exsultat corpus, id est sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit : *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos.* Quia enim quandoque ipsa

PATROL. XCVI.

A etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos exaltatum gaudet in cælis. Cum ergo electi quique ad vitam perveniunt, quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in membris suis est qui intrat. Ipse caput, ad quod intrantia membra perveniunt. Accipite ergo, descendit regula, quam tenent membra ejus Ecclesia, quod est in charitate unum corpus summi capitis, a quo accipit Spiritum sanctum, secundum Psalmistæ vocem dicentis : *Sicut unguentum a capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (Psal. cxxxii, 2). Vide ergo quid dicat unguentum. Unguentum gratia est, benedictio est divinitatis. Sicut benedictio unguenti de capite, hoc est de divinitate in Christo. Caput Christi Deus, caput Ecclesiæ Christus. Descendit unguentum in homine Christo. Descendit de Christo in oram vestimenti ejus, quod est Ecclesia. Unguentum de capite, quod descendit in barbam. Barba enim virilitatis indicium est. Caput ergo divinitatis dicitur, sicut diximus, ex quo descendit unguentum in barbam Aaron, id est in Christo, qui est caput Ecclesiæ. Barba vero, ut diximus, virum indicat, in quo perveniamus in virum perfectum, qui est Christus. Et postquam in illam barbam descendit, ipsum unguentum in oram vestimenti ejus; sic benedictio, et ros in Hermon descendit in montem Sion. Hermon in lingua nostra interpretatur *anathema*, quod est Judæorum populus. Ros ergo, id est benedictio Domini, ante fuit in populo Judæorum, qui postea anathematizati sunt. Et benedictio illa, quæ antea descendeat in populo anathematizato, postea descendit in monte Sion, hoc est Ecclesiam, quæ corpus est Christi. In quo capite Ecclesiæ descendit unguentum, ut Psalmista ait de eo : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Participes sunt apostoli Christo, sed apostoli ad mensuram acceperunt Spiritum sanctum. In Christo vero omnis plenitudo Spiritus sancti descendit, quia solus sine peccato, et de ipsa plenitudine illius acceperunt apostoli.

XLI. Audistis quid dixit : *Dilexisti justitiam.* Sed et contrarium videte quid dicat : *Et odisti iniquitatem.* Pro his virtutibus quid accepit audite : *Propterea, inquit, unxit te, Domine, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Hoc ad Christum dicitur. Jesu Christe, tu unctus es, ut cæteros ungeres unguento, quod descendit in barbam, in barbam, inquit, Aaron. Quod unguentum in capite est, descendit in barbam : id est, a vero Deo descendit ad hominem, quem dignatus est assumere. Et de homine quem assumpsit descendit in oram vestimenti ejus, quod sumus nos. Et quantum nobis prodest barba ista sancta, et vir iste perfectus, videamus. Et qui sunt illi qui proficiunt, in quos descendit in oram vestimenti ejus, qui possunt esse vestimentum Christi. Et cum fuerint vestimentum Christi, tunc et ipse Christus verum est illorum vestimentum, et induunt Christum. Nos, si vestimentum Christi su-

mus, nuditatem ejus nostra vestimus fide. Ecce nudus pendet in cruce, *scandalum Judæis, gentibus stultitia*. Et tamen nostra fide, et sermone, et confessione vestimus nuditatem ejus, et dicimus: Dominus Deus noster est qui nudus pendet in cruce. Filius Dei verus est qui illusiones et derisiones patitur nudus in cruce, ut nos vestiti simus ejus nuditate.

XLII. Cum audiunt nos Judæi ista dicere, continent aures suas, et derident nos, qui talem Deum habemus qui nudus pependit in cruce. Recedimus ab invicem in tantum, ut nec illi recipiant nos nec nos illos. Unum hostem fugimus Judæos, et multos hostes invenimus intra domum, hæreticos peiores quam Judæos. Judæi semel negant et dicunt: Iste quem dicitis qui nudus pependit in cruce, non est Deus. Cum nos eis dicimus, quis est? Respondent et dicunt, homo est: nam si Deus esset, non diceret: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et ideo non debetis tam absurde dicere Deum, sed tantum filium adoptivum, sicut et nos sumus adoptivi, quia nec unus Deus est qui nudus pendet in cruce, nec verus filius Dei. Injuriam facitis Deo de tali fide. Nam nos honoramus Deum, qui recte dicimus quod Deus ad tantam injuriam descendit. Sermo [Servus] est qui patitur. Servus Dei est qui patitur, ipso de se dicente: *O Domine, ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillæ tuæ*. Et Dominus ei dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Cum hoc verum dicat Scriptura, quomodo vos potestis firmare, cum homo nudus qui pendet in cruce a Deo se derelictum clamitet et Deus sit. Ecce et istos invenimus similes Judæorum, quia illi nudaverunt Christum, et nudum eum imposuerunt in crucem et ibi mortuus pependit. et ipsa nuditas, crux et mors facit scandalum Judæis, et dicunt: Non est Deus. Hoc dicunt et isti hæretici: Non est Deus. Nudaverunt illi Christum vestimentis, nudant et isti fide. Illis fecit scandalum Christi nuditas, istis facit scandalum Christi humilitas. Non sunt ergo isti vestimentum Christi, qui non vestiunt Christum sua fide, sed eum cum Judæis nudant sua infidelitate. Illi Deum Israel laudabant, et ipsum Deum Israel negabant, quem nudum cruci affigebant. Et isti Christum laudant: et ipsum Christum, qui nudus pependit in cruce, Deum Israel esse negant: et utrique populum Domini se existimant esse; et utrique meliores se nobis profitentur in fide, et utrique dicunt: Nos sumus Israel, qui Deum recte credimus. Nam vos bruta et insensati, qui hominem, qui mortuus est, habetis Deum. Et quia Israel, *videns Deum* dicitur, utrique se Israel profitentur, utrique se filios Dei asserunt. Sed Dominus eos per Isaiam prophetam redarguit, dicens: *Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem non me cognovit, populus meus me non intellexit*. Et meum populum dicit, et me non intellexit neque cognovit. Non intelligit Deum, qui non intelligit Christum, quia Christus est Deus. Non cognoscit Deum Israel qui non cogno-

scit Christum, quia Christus est Deus Israel. Non est mundus corde, qui non videt Deum factorem cæli et terræ: qui non credit Christum, quia Christus est Deus factor cæli et terræ. Et inde non vident Deum, quia mundum non habet cor. *Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

XLIII. Restat ergo ut qui non intelligunt, non vident; et qui non vident, in tenebris ambulant. Unde et Psalmista dicit: *Nescierunt, neque intellexerunt quod in tenebris ambulant*. Et qui in tenebris ambulant, in die non ambulant, quod est Christus et Ecclesia, nec dicere possunt illum versiculum psalmi: *Hic est dies quem fecit Dominus; exultemus et letemur in eo*. Et quia dies et nox una dies dicitur, quia de sole usque ad alterum orientem solem diem et noctem includit, et unus dies dicitur, sic Ecclesia et hæreticorum pravitas, lux et tenebræ est, et una Ecclesia nuncupatur. Utrique unum Evangelium legunt, sed utrique vestimentum Christi esse non possunt. Cum unus fide tegit nuditatem Christi, alter infidelitate nudum prædicat Christum, cum dicit: Homo est, non est Deus, non est ipse qui fecit cælum et terram. Alter non nudum, sed veste indutum eum prædicat, quia dicit: Deus est homo, et ipse fecit cælum et terram, qui in cruce pendet inter cælum et terram. Hoc tantum Ecclesia potest dicere de Christo capite, cuius ipsa est corpus, quia ipsam suo sanguine pretioso redemit, ut eam sibi copularet per sanguinem; et Christus indueret eam, et illa Christum, sicut Paulus apostolus de ipso loquitur ad Ephesios: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*. Maculam quippe et rugam non habet, quia et turpitudine operis et duplicitate sermonis caret. Non habentem, inquit, maculam aut rugam. Id est, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam. Quia et per justitiam munda est, et per simplicem intentionem extensa. Quæ ergo abluta est ne maculam habeat, extensa est ne habeat rugam. Utique vestis Christi est. Sicut enim indumentum Christi tota generaliter Ecclesia dicitur, sic indumentum sunt Ecclesiæ singulorum animæ, quæ ab errore conversæ eandem Ecclesiam credendo, eique fideliter inhærendo, circumdant. De quibus eidem Ecclesiæ per prophetam Dominus dicit: *Vivo ego, quia omnibus his velut ornamento vestieris*.

XLIV. Ecce quomodo est Ecclesia per fidem et conversionem, et opera bona vestimentum Christi. Ecce quomodo singulorum animæ, quæ per prædicationem Ecclesiæ convertuntur et credunt quod tantum in ea sit remissio peccatorum, et inhærent ei fideliter, vestimentum sunt ipsius Ecclesiæ. Vestimentum sunt Ecclesiæ animæ in unum collectæ. Vestimentum est Christi tota Ecclesia, et vestimentum est Christus totius Ecclesiæ. Rem vobis dico novam, imo non novam, sed de Scripturis, quia vestimentum Christi sumus. Et cum illum nostra confessione et fide vestimus, tunc iterum nos ipsum Christum induimus. Dicit enim et Apostolus quod

vestimentum nostrum Christus sit : *Quicumque*, A inquit, *baptizati estis in Christo, Christum induistis*. Quando enim baptizatur, induimur et vestimur.

XLV. Hoc totum quare dixi? Ut ostenderem credentes vestimentum esse Christi quod descendit in oram vestimenti ejus, quod descendit in barbam, in barbam Aaron. Sic enim Aaron sacerdos hunc sacerdotem nostrum præfiguravit Christum, et octo ejus vestimenta omnis omnino Ecclesiæ. Figura illa vestimentorum nos sumus secundum Apostolum, *in quos finis sæculorum* decurrit, *quia ista illis in figura contingebant* quæ nobis in veritate completa sunt. Siquidem pontifex octo habet, ut diximus, species vestimentorum. Longum est dicere de ephod, de tunica, de zona, de catenulis, de femoralibus, de fimbriis, de soccis, de tintinnabulis, quibus virtutibus sacerdos B debet ingredi templum Domini et in Sancta sanctorum. Et nos ergo si voluerimus de vestimento esse isto sacerdotali, aut superhumerali sumus, quod interpretatur ephod, ut habeamus bona opera; et in humeris nostris Christi mandata portemus: aut certe tunica debemus esse interior, quæ tunica stricta est et adhæret corpori. Non est laxa, non funditur, sed adhæret tota ad corpus. Vides ergo quia quicumque interior est, et interior tunica, vicinius jungitur corpori.

XLVI. Longum est dicere de rationalibus et de manifestationibus. Si quis vero rationale est, quod dicitur logion, non est alibi nisi in pectore. Quod ratione dictum vel factum est, rationale dicitur. Quod vero sine ratione dictum vel factum, rationale dici non potest. C intelliges Scripturæ ordinem. Quicumque rationalis est, ephod est, id est, vestimentum superhumerali; et in pectore, quod est prudentiâ. Cæterum fieri potest ut aliquis habeat prudentiam, ut habeat ^a augon, hoc est logion, quod Latine dicitur rationabilitas, et non habeat ^b ermonem, hoc est manifestationem. Quicumque ergo verus sacerdos est, debet esse rationalis; debet habere manifestationes; hoc est, quodcumque manifestum proferat et omnes doceat.

XLVII. Et hæc omnia forsitan faciat, si castitas cauta et ornata non fuerit, et omnes fluxus carnis non mortificaverit, ut cingat lumbos suos et mortificet. Deinde femoralia debet habere, ut quodcumque D in nates ignominiosum est et sordidum, quasi hoc cingulo mundetur et mortificetur. Deinde dicitur quoniam debemus habere phodere [poderem], id est vestimentum tunicæ usque ad pedes. Phodere quod ordinet, quasi pedes nostros. Et in ipso phodere diversi flores sunt. Sunt ibi malgranata, sunt etiam fimbriæ. Ego puto quod et illa mulier sanguinem fluens, ideo sanata est eo quod statim fimbriam tetigerit. Hoc totum quare dico? ut bonum opus quod inchoamus usque ad finem perseveremus: quod est usque ad pedes, si Christi vestimentum esse desideramus.

XLVIII. Deinde considerate quoniam ad extremos pedes inter malgranata erant et tintinnabula; et non ingrediebatur pontifex in Sancta sanctorum nisi illa tintinnabula personarent. Et quid Sancta sanctorum ingredi, nisi ille interior spiritualis intellectus ubi cum Domino loquitur?

XLIX. Et illa tintinnabula et illa malgranata diversitates virtutum sunt: et sacerdos, id est pontifex, qui omnem Ecclesiam in typo Christi tanquam vestimentum in se portat, debet prius diversarum virtutum ejus opera, tanquam tintinnabula, per omnem Ecclesiam resonare; et tunc ad ejus omnes congregentur imitationem, et sic in Sancta sanctorum ingrediatur, ut quod intus de Domino audierit foris populo loquatur, secundum Domini dictum in Evangelio: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Et cum hæc fuerit, Ecclesia erit, mons Sion erit: *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem*. Id est, unguentum illud quod descendit de capite Divinitatis, in barbam, in barbam Aaron: *quod descendit in oram vestimenti ejus*, quod est Christus: et pervenit ad montem Sion illa benedictio roris quæ descenderat in Hermon; hoc est, in populo Judæorum pervenit ad Ecclesiam, quod est mons Sion, quoniam in ea mandavit Dominus hanc benedictionem et vitam usque in æternum. Vita Christus est. Qui constituitur Christum, habebit vitam usque in sæculum sæculi. Nos tamen si de Ecclesia sumus, Ecclesiam defendimus, et in dogmatum veritate stamus, in ædificio Christi sumus. Illi vero qui non sunt in Ecclesia, adversantur Christi Ecclesiæ. Si ergo sumus in Ecclesia, si habemus fidem Ecclesiæ, fidem apostolorum, fidem Christi dogmatum, veritatis montes, sumus Sion.

L. Dominus noster Jesus Christus mons montium est, non unus de montibus, ut hæreticus asserit Elipandus. Nam cum singulariter mons dicitur, aut singulariter Dominus, aut singulariter Christus, aut singulariter pontifex, aut singulariter sacerdos; aut singulariter hostia, aut singulariter agnus, aut singulariter lapis, aut singulariter petra, et cætera hujusmodi similia, aut certe singulariter servus, aut singulariter pauper, solus ipse in sua persona intelligendus est: ut in ipsa humilitate, qua a nobis figuratiter prædicatur, nullus ei similis prædicetur. Nam et homines sancti multi sunt qui ei credendo efficiuntur sancti. Ab eo dicuntur dii, ab eo domini, ab eo christi, ab eo pontifices, ab eo sacerdotes, ab eo hostiæ, ab eo agni, ab eo lapides vivi, ab eo fortes petrae. Propter hoc ille factus est Patris servus, ut nos de multis dominis liberaret, id est, de multis idolis; et ipsum solum haberemus Dominum qui propter nos factus est servus; et essemus liberi per ipsum qui solus inter mortuos est liber, et nos ad hanc ingenuitatem perduxit. Et sine dubio summa ingenuitas creditur, in quo Christi servitus comprobatur. Propter nos factus est pauper, ut nos ejus

^a Forte, *augen*, ἀύγιον.

^b Forte, *sermonem*.

paupertate efficeremur divites. Et quid est ejus paupertas, nisi ejus humanitas? Et quid sunt nostræ divitiæ, nisi ejus humanitas? Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ubi ille descendit, illic nos ascendimus. Ubi se ille inclinavit, ibi nos erexit. Ubi ille poenam perpressus est, ibi nos a poena liberavit. Ubi ille mortuus est, ibi nos vivificavit. Ubi ille resurrexit, ibi nos suscitavit. Ubi ille ascendit, ibi nos secum levavit. Ubi Pater cum exaltavit, et donavit illi nomen, et nos cum illo exaltavit, et cum illo nobis omnia donavit: quia et ipsum nobis Pater dedit, et nos illi donavit; et illum a parte dexteræ suæ collocavit et nos corpus ejus cum capite sedere fecit.

LI. Et cum sit caput et corpus una substantia, tamen multum distat inter caput et corpus, cum tantum unum sensum habeat communem, et cæteros quatuor solum sibi vindicat caput. Multum ergo distat inter Christum hominem, et omnem omnino sanctorum multitudinem, qui de Adam ducit originem, cum omnibus virtutibus soli homini Christo non poterit comparari aut æquari totus ille exercitus. Solus Christus sine illis poterat esse: toti illi sine Christo nec vivere possunt nec esse.

LII. Hoc totum quare diximus? Quia montem Sion figuratiter Ecclesiam nuncupavimus. Possumus singulariter dicere montem Sion unam Ecclesiam, quod est unum corpus Christi. Possumus dicere et ipsam montes et Ecclesias. Christum vero solum non possumus dicere Christum et christos, montem et montes, Dominum et dominos, Deum et deos, servum et servos, pauperem et pauperes, parvulum et parvulos, circumcisum et circumcisos, baptizatum et baptizatos, flagellatum et flagellatos, mortuum et mortuos. Solus ille pro omnibus mortuus. Solus ille pro omnibus ista perpressus. Nullus sanctorum pro altero mortuus est. Nam cum Joannes apostolus dicat: *Sicut Christus pro nobis animam posuit, et nos debemus pro fratribus animam ponere.* Potest quidem quilibet facere compatiendo, nam nullus potuit hoc facere moriendo et resurgendo, nisi solus Christus, solus sine peccato. Nam omnes sancti possunt dicere illud Davidicum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (Psal. l., 7).* Christus hunc versiculum nunquam dixit. Sed quid dixit: *Venit princeps hujus mundi, et in me nihil invenit (Joan. xiv, 30)*, id est, nihil peccati in me invenit. Et ideo quia solus homo sine peccato est, nullus ei hominum similis invenitur. Qui solus caput est, super omne corpus est. Qui singulariter mons est, super omnes montes est, propheta Michæa attestante, qui ait: *In novissimo dierum erit mons domus Domini preparatus in vertice montium: et sublimis erit super colles, et confluent ad eum populi: et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis; et ibimus in semitis ejus (Mich. iv).* Psalmista quoque de eo monte et de cæteris montibus in lxxvii psalmo dicit: *Ut quid suspi-*

camini montes incaseatos? (Isa. ii, 2, 3; Psal. lxxvii, 17.) Eum montem in quo beneplacuit Deo habitare in eo? Sicut ille dicitur mons, sic montes illi. Sed longe altius mons dicitur a montibus præparatus in cacumine montium. Montes itaque isti illum montem portando gloriosi sunt, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur, non in se. Paulus architectus dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.*

LIII. *Ut quid ergo suspicamini hos montes? Eum montem in quo placuit Deo habitare in eo.* Non quia in ipsis montibus non habitat Deus. Habitat plane. Sed per istum montem habitat in ipsis montibus Deus. In ipso quippe solo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Non habitat umbraliter in illo divinitas, tanquam in templo a rege Salomone facta, sed corporaliter. Non sicut in caelo, aut in terra, aut in angelis, vel cæteris sanctis, sed corporaliter in eo habitat omnis plenitudo Divinitatis, id est, Patris et Spiritus sancti. Qui et ipse Christus per naturam Divinitas est. Et quanquam in angelis et in cæteris sanctis habitet divinitas, tamen nullus eorum naturaliter Divinitas est sicut Christus. Et quia Christus, et Pater, et Spiritus sanctus una Divinitas est, et ipse in Patre est, et Pater in illo est, et Spiritus sanctus ab utroque procedit, ideo in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, solide atque veraciter, secundum Pauli apostoli dictum, qui ait: *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quod sive de Patre dictum accipiamus, quoniam ipse ait: *Pater autem in me manens ipse facit opera. Et ego in Patre, et Pater in me,* sive ita intelligatur, Deus erat in Christo, id est, Verbum erat in homine, hoc est, Deus erat homo. Sic erat utique Verbum in carne, ut Verbum caro factum solus proprie diceretur, id est, homo Verbum in una Christi persona copularetur. Ut quid ergo suspicamini cæteros montes? Eum montem in quo placuit Deo habitare in eo? Longe aliter habitat illis in montibus pluraliter, aliter in isto singulariter. Quem ergo illorum montium hunc montem suspicamini? Nam quia et illi per adoptionis gratiam Filii Dei sunt, sed nullus ex illis est unigenitus, cui Pater diceret: *Sede ad dexteram meam. Donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis (Psal. cix, 1).* Nullus eorum abstulit peccata mundi. De nullo eorum dictum est: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* De nullo eorum dictum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* De nullo eorum legimus quod sit Dominus majestatis; sed de Christo Apostolus dixit: *Quis Dominum majestatis crucifixerunt,* quia neque apparuit Pater in mundo, sed neque Spiritus sanctus, sed solum Filium crucifixerunt unicum Dei Patris Verbum.

LIV. Cavendum ergo est ne cum Verbum audis, multa cogites verba. Nam si multa verba cogites Patris, jam non unum Filium, sed multos filios intel-

liges. Cave ergo ne te sonus capiat vocis humanæ A similitudoque sermonis. Aliud est verbum quod tempora habet, quod syllabis colligitur, quod litteris colligitur, quod sonat, quod auribus auditur, quod tempora habet, et unum verbum sonat, pertransit, et fit intervallum silentii, et aliud formatur verbum, et sequitur ut audiatur et intelligatur, quo explicito tertium sequatur, et unum verbum alterum sequendo, multa verba efficiantur. Non tale Verbum Patris Filius unicus: Non tale Verbum unigenitus Deus. Incorporeus Deus Pater. Vocem utique incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non est in Patre, nec Filius Verbum est corporale. Et ideo non multa verba, nec multi filii, sed unum Verbum est æquale Patri, quod et gradum excludit et numerum. Et hoc dico quod lego. Et hoc credo quod profero. B Nam quæ sit hujus natura Verbi, nescio. Et nescio multo hoc melius quam scio. Hoc solum bene scio quando hoc nescio quod scire non possum. Neque enim Joannes, quem lego, aliud dicere potuit quam quod audivit: *Quod vidimus, inquit, et quod audivimus*. Hoc solum bene se scire dixit quod audivit et vidit, qui in Christi pectore recumbebat. Ergo illi satis est audire, mihi non est satis; sed quod ille audivit, hoc mihi dixit. Et quod audivit a Christo, hoc nec ego possum negare verum esse de Christo. Ergo quod ille audivit, hoc ego audivi. Quid audivit? Verbum. Quia dixit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus*. Deinde dicit: *Et vidimus*. Hoc totum verum est, quia quod audivit et vidit. Quid vidit? C Non utique Divinitatem, quæ secundum naturam suam videri non potest. Vidit eum per naturam meam. Non enim Verbum alterum Filius est, et homo alter, sed ex utroque unicus Filius est.

LV. Sed quia secundum naturam suam nemo eum videre poterat, suscepit naturam visibilem meam, ut secundum naturam corporis videretur. Denique et Spiritus sanctus in specie visus est ut columba, quia videri Divinitas in suæ claritatis veritate non poterat. Quæ utique una invisibilitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quia una Divinitas est et unus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sed quia tres sunt personæ, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, hoc non habent commune quod solus Filius factus est homo propter homines redimendos, quod solus Spiritus sanctus super hominem Filium descendit in specie columbæ ut videretur, quod solus Pater clamavit: *Tu es Filius meus dilectus, ut audiretur*.

LVI. Sed illa columba in qua Spiritus sanctus apparuit, non dicitur Spiritus sanctus, sicut iste homo a Verbo susceptus dicitur Filius. Illa columba non est Deus. Nam iste homo Deus est. Illa vox Patris, quæ sonuit corporaliter, non est Pater. Nam iste corporalis qui visus est, Filius Dei Patris unicus est. Per subjectam creaturam locutus est Pater, non per suam substantiam, quia invisibilis Deus est. Per subjectam creaturam apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ, non per suam naturam, qua invi-

bilis Deus est. Solus Filius apparuit per substantiam suam hominibus. Non per illam apparuit qua æqualis est Patri, sed per illam qua missus venit a Patre et Spiritu sancto solus Filius, qui semetipsum exinanivit, id est, solus formam servi accepit. Noli igitur et tu secundum naturam interpretari quod præter Divinitatis naturam est. Quod si credideris a Verbo carnem esse susceptam, et offeras transfigurandum corpus Christi altaribus, et non intellexeris quod offertur aut cui offertur; et non distinxeris naturam divinitatis et corporis, statim tibi Dominus dicit: Si recte offeras, et recte non divides, peccasti. Non dico, personam divides, sed dico ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altario assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicunque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructionibus contulerit fratribus: id est, preces, quas suggerit, a catholicis imbuatur.

LVII. Solus ergo Filius est homo, qui et æqualis Patri est, semper in forma Dei, cui cum Patre hostiam offerimus, et solus formam servi accipiens sacerdos factus est. Per quam hostiam vivam Deo placentem offerre possumus. Nec tamen a nobis offerri hostia potuisset, si Christus pro nobis hostia factus non fuisset. In quo ipsa natura nostri generis vera est hostia salutaris. Ut enim ipse Unigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret, et sacerdos in persona divinitatis suæ, non accepit hominis personam, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset, in illo incarnationis mysterio non esset unus Christus in duabus naturis Deus et homo, sed in duabus personis alter esset Deus, alter homo. Sed ideo unus est Christus, unus Dei et hominis Filius, quia ille unigenitus Dominus qui personam propriam semper habuit, in ipsa persona sua veritatem naturæ servilis accepit. Proinde Christus inseparabilis permanet. Quia cum altera sit in eo natura divinitatis, altera vero natura servilis, in uno tamen eodemque Christo illa persona divinitatis erat, ipsa una est etiam humanitatis assumptæ. Propterea unus atque idem Christus, quem et paulo minorem ab angelis ostendit, accepit formam servilem, æqualem Patri demonstrat unitas naturalis.

D LVIII. In quo sacramento sic offendunt hæretici quam maxime Ariani, ut attendentes in eo officium sacerdotis, nolint celsitudinem Deitatis suscipere. Quoniam ergo sunt hæretici qui Filium cum Patre unius divinitatis esse non credunt.

LIX. Item sunt alii qui hominem naturam Dei filium non constituentur: qui utrique non Dei, sed hominis asserunt esse Virginem genitricem, quia non per illum, inquit, qui de Virgine natus est, invisibilia et invisibilia facta sunt, sed per illum quem sibi genuit æqualem.

LX. Isti sunt hæretici, ut Manichæi, qui veritatem carnis in Dei Filio negare non metuerunt. Hunc locum congrue atque utiliter Patres sanctissimi posuerunt. Nam cum nos ostendimus per aeternum sacer-

dotem Dominum Christum in nostris orationibus offerre, veram in eo carnem nostri generis confitemur, secundum illud quod Apostolus dicit : *Omnis enim pontifex ex hominibus desumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum : ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Cum vero dicitur, *Filium tuum* ; et adjicimus : *Qui tecum, summe Pater, vivit et regnat in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commendamus quam naturaliter habet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quoniam si quid hujusmodi, ut supra diximus, in Scripturis legimus, ad unitatem personæ referendum est. Quia et ipse solus est sacerdos Christus, per quem hostiam offerimus ; et ut per eum a Patre acceptetur et interpellat Patrem pro nobis, supplicamus orantes. Et ipse est Deus cum Patre cui offerimus. Et ipse est qui interpellat Patrem pro nobis, non voce, sed miseratione. Et ipse est qui exaudit cum Patre, qui solus pro nobis interpellat Patrem. Proinde nostra oratio semper per mediatorem dirigatur ad Patrem. Per ipsam personam cujus sanguine sumus redempti, quem bibimus, et cujus carnem manducamus, per quam vivimus. Quia sicut anima et corpus ex diversa substantia unus est homo, ita Deus et homo ex diversa substantia unus est Christus. Ac per hoc cum sit unus ex diversa substantia, ipse quodam modo interpellat pro nobis, ipse quodam modo pro nobis exaudit.

LXI. Divide ergo quod meum, divide quod suum. Ego enim quod illius erat divinitatis non habebam. Et ille quod meum est humanitatis non habebat. Suscepit quod meum est, ut impertiret quod suum est. Suscepit, non ut confunderet, sed ut repletet. De nostro habuit pro nobis, unde mereretur pro nobis et viveremus in illo. Exemplum reliquit qualiter moremur pro illo ; et ubi ille est, de morte transiremus ad regnum. Ad regnum quippe non potest transire, nisi interposita morte. Et idcirco et confidendo quasi dubitamus, et quasi dubitando confidimus. Et gaudentes metulimus, et metuentes gaudemus, quia scimus quod ad bravium quietis æternæ pervenire non possumus, nisi hoc quod interjacet cum labore transcendimus. Sic etiam cum morbos temporales de corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certi autem de subsequenti salute gaudemus. Sicut enim corporalis morbus sine amara potione non curatur, ita spiritualis morbus animæ sine lamento lacrymarum non deletur. Quomodo ergo poterit ille nobiscum unus esse ex nobis, qui peccata non sua, sed nostra omnium solus ipse delevit ? Et ob hoc per latitudinem Scripturarum paginis currimus, sed ei similem in quo formam servi assumpsit non invenimus.

LXII. Restat ergo ut isti qui eum sibi similem putant, virtutes a nobis cum incredulis extorqueant, et dicant : Si verum dicitis quod Filius Dei est Jesus, aut vere vos ejus estis Ecclesia, facite in ejus nomine nobis virtutes. Et cum feceritis, credimus vobis quod vere Deus sit quem creditis. Hoc restat hæreticis quod paganis. Fides virtutes non quærit. Virtus,

quæ temporaliter videtur, futura non sperat. Virtutem præsentem requirere, non pars fidei, sed pars incredulitatis est. Denique Paulus apostolus Mitylenem veniens, et plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febrisque vexatum orando salvavit : et sanctæ prædicationis adjutorem suum Timotheum ex infirmitate stomachi laborantem, non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat, dicens : *Modico vino utere, propter stomachum et frequentes tuas infirmitates.*

LXIII. Qui ergo infirmum infidelem una prece salvat, qui ægrotum Timotheum prece non roborat ? Quia nimirum ille foras per miraculum sanandus erat, qui intus in anima mortuus erat ; ut per hoc quod exterius in corpore potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Et tamen utriusque infirmi erant, sed æqualiter infirmi non erant. Timotheus corpore erat infirmus et animo salvus, qui cum magistro Christum vitam in gentibus prædicabat. Et pater Publii corpore ægrotabat, sed anima mortuus erat, quia per fidem Christi nec dum suscitatus fuerat. Quia ipse dixit : *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet.* Quamobrem, qui non credit filium Virginis naturaliter esse Filium Dei Deum verum, non vivit, sed mortuus est. Mortuus est, quia hoc non credit. Jam vivus esset, si crederet. Et ideo, qui intus vivit, jam non miracula, sed poenitentiam requirit. Qui intus in anima vivit, corporis curam in desiderii non agit. Qui in anima mortuus est, corporis curam in desiderii facit. Et qui corporis curam agere contendit, Christum cognoscere non potest.

LXIV. Facilius ergo Deus videtur, cum secundum Apostolum, *exterior homo corrumpitur.* Et quantum plus corrumpitur de die in diem, tantum plus in agnitione Dei de die in diem renovatur. Et quantum minus exterior homo corrumpitur, tantum minus interior anima renovatur, et tantum minus Deus agnoscitur. Ipsa debet esse renovata, quæ templum Dei ab Apostolo dicta. Sic enim ait : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ipse interior homo factus est ad imaginem Dei. Exigamus itaque spiritum mentis nostræ, qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eam, quia ibi per fidem in nos habitat Christus. Ubi non est Judæus neque Græcus. Ubi non est servus neque liber. Ubi non est masculus aut femina. Ubi mori non poterimus, cum solvi corpore coeperimus. Ubi non senescimus, si etiam in corpore ad decrepitam ætatem pervenerimus. Cum hoc ita verum sit, et loca apta requirimus, et invenire non valemus, interiora animæ mundemus : et omni inde mala cupiditate depulsa, in corde nostro locum pacis secretum præparemus, et ita semper agamus ut templum Dei sanctum simus. Et si volumus in templo orare, in nobismetipsis oremus. Ibi enim habitat ille quem oramus. Ibi enim Christus, cum clamatur, exaudit, ubi et habitat. Credimus videre Deum : non quia videmus per oculos corporis, sicut videmus hunc

solem, vel mentis obtutu, sicut se quisque interius videt viventem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem.

LXV. Quid ergo diximus? Nunquid hoc est videre quod credere? Plane multum distat inter utraque, quia presentia videntur, absentia creduntur. Et Dominus in Evangelio ait: *Beati qui non viderunt, et sic crediderunt*. Et tamen illi hoc dixit qui viderat, qui cicatrices palpaverat. *Quia vidisti me, inquit, et credidisti. Beati qui non viderunt et crediderunt*. Cum beatum dicat qui vidit et credit Christum, quomodo in alio loco ipse Dominus in Evangelio dixit: *Deum nemò vidit unquam?* Et apostolus Paulus ad Timotheum dicit: *Quem vidit nullus hominum: sed neque videre potest?* Hoc totum de hominibus dictum est, non de aliis. Non est de illis dictum de quibus supra diximus, in duorum animabus Christus habitat per fidem, qui templum sanctum Dei sunt, in quibus Deus habitat, Propheta attestante, qui ait: *Dominus in templo sancto suo. Dominus in cælo sedes ejus*. Ipsi et cæli dicuntur, secundum illud xviii psalmi testimonium: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Et in quotidiana prece dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*. Ac si aperte dicamus: *Qui es in sanctis angelis et in sanctis animabus. Cælum ipsi sunt, quia non terrena, sed cælestia sapiunt*, secundum Pauli apostoli dictum: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei Patris*. Qui enim cum Christo resurrexit, et ubi Christus in dextera Dei Patris sedet, sapit, jam non homo, sed Deus Scripturis sacris nuncupatur. Quia et Deus est, in quo Deus habitat; et semper eum videt, quia semper in ipso est. Nam Deum nullus hominum videre potest. Sicut et ipse Dominus interrogabat discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non dixit: *Quem me dicunt esse homines, sed filium hominis, ne jactanter de se quærere videretur*. Pulchre autem interrogat: *Quem me dicunt esse homines filium hominis?* Quia qui de filio hominis loquuntur, non dii, sed tantum homines sunt. Qui vero divinitatem ejus recte intelligunt, et *tu es Christus Filius Dei vivi*, cum Petro dicunt, non homines, sed dii appellantur.

LXVI. Proinde Apostolus dicebat: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest (I Tim. vi, 16)*. More hominum vocans homines humana sapientes. Quia qui divina sapiunt, sine dubio supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cælestem conversationem supra homines esse mereamur. *Videmus et nunc, secundum Apostolum, per speculum in ænigmate, per fidem. Videbimus et tunc facie ad faciem*. Nec tamen ita videbimus, sicut ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt Creator se quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur quo creatura sumus. Sic profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se. Sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio no-

stra vel requies erit utcumque similis visioni vel requiei illius, sed æqualis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis plena nos sublevat, utque a nobis ad illum eriguntur intuentium, raptisque intentione cordis et dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipsum. Etiam hoc ipsum ire nostrum minus est requiescere. Et tamen sic ire, perfecte quiescere est. Et perfecta ergo requies est, quia Deus cernitur; et tamen æquanda non est requiei illius, qui non a se in alium transit ut quiescat.

LXVII. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis. Quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum, et magna nobis est æternitas imitatio æternitatis. Nec exsortes sumus ejus quem imitari possumus. Quia et videntes participamus et participantem imitamur. Quæ sine dubio visio nunc per fidem inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Deo sapientiam, quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso fonte Christo biberimus, cujus corpus sumus. Sed grandis hic labor erit, qui ad illa pertingere voluerit. Non enim parva corporis violentia est, cum caro cupit esse quod Deus est. Deus enim, ut supra diximus, caput corporis Christi est, Apostolo attestante, qui ait: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est. Caput autem mulieris vir. Caput Christi Deus*.

LXVIII. Quid itaque est caput nostrum, nisi Divinitas, per quam existendi principium, ut creatura sumus, sumimus? *Nam vir est caput mulieris: caput viri Christus: et caput Christi Deus*. Hoc totum in Christo est, qui mediator Dei et hominum est. Nam hoc loco mulierem dicit plebem intra Ecclesiam, sensu parvulam et carnalem, quæ sub regimine pastoralis est. Vir vero hujus mulieris, doctores eorum sunt qui, more apostolico Christi vestigia imitantes, eam tanta intentione educando regunt, ut non eis sufficiat in prædicatione et exemplo eam instruere, sed etiam sui capitis exempla sequentes, moriendo pro ipsa animam ponere; qualiter possit illi caput esse, et suo capiti Christo, secundum Apostoli dictum, inhærere.

LXIX. Per hominem enim Christus hujus viri factus est caput. Cui homini Christo a Verbo assumpto tota Divinitas caput est. Et hoc totum in uno Christo est, quia et in eo est omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et ipse est caput totius Ecclesie. Ut quemadmodum unus homo constans ex anima et corpore, et in corpore sunt ista, id est, caro, ossa, et caput. Caro regitur per ossa, ossa per caput, caput per animam. Et carnem dicimus mulierem. Et ossa dicimus virum, caput hujus mulieris, carnis. Et caput dicimus horum ossium ipsum caput humanum. Et mentem dicimus hujus capitis caput. Et hoc totum in uno homine est. Sic dicimus caput mulieris, id est, minute plebis, pastores et doctores Ecclesiarum, tanquam ossa carnis. Caput viri Chri-

stus, tanquam ossis caput. Caput Christi Deus, tanquam mens capitis. Et cum omnia in uno homine sint, et ipsa tota ipse homo sit, tamen iaveniuntur ibi differentiae, quibus una alteri possit praecellere. Non carni, quae mollis est, praecellunt ossa, quae dura sunt, et sine eis caro stare non potest? Sicut nec ipsa plebs minuta intra Ecclesiam, quae tanquam caro mollis est, sine magistro stare potest; qui solidi, tanquam ossa sunt. Haec ossa junguntur capiti, per quod vitam habent, quia nisi capiti jungantur, per quod vitam habent, vivere non possunt. Sicut magistri Ecclesiarum junguntur capiti Christo, qui nisi Christo per fidem et opera jungantur, vivere non possunt. Jam vero mens in quantum praecellit capiti, quae et altera substantia est spiritualis, in tantum caput est, cui praecellit. Sic et divinitas Christi caput, et corporis Christi, quae totum ipse Christus in se habet, et omnem plenitudinem divinitatis suae, et omnem plenitudinem humanitatis nostrae.

LXX. Sed hoc per quaecumque vestigium dicimus propter haereticorum insipientiam atque controversiam, qui et Christum hominem non confitentur Dei Filium, et cum Patre unum Deum, et non esse alterum Deum praeter eum, et cum tota Ecclesia unum hominem, * et non esse altera persona Ecclesia, et altera persona Christus homo; et altera persona Verbum Patris, ut tres sint personae, Verbum, homo, et Ecclesia, sicut tres sunt personae Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Solus Filius factus est homo, id est, anima rationalis et caro. Ac per hoc, Verbum, anima, et caro, tres quidem substantiae sunt, sed unus est Christus, unicus est Filius, unus Dominus noster Jesus Christus, unigenitus Dei Patris Filius, qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, sub Pontio Pilato est crucifixus; qui vere et absque mendacio Patrem habet Deum naturaliter, a quo habet deitatem, ut sit verus Deus, et non sit alter Deus praeter eum: et vere et absque mendacio matrem habet naturaliter Virginem, Virginem Mariam, et non sic alter homo praeter eum cum tota Ecclesia, quam redemit sanguine suo, una persona ex tribus substantiis unus Christus. Quae persona neque Patris est, neque Spiritus sancti, sed, ut diximus, Filii. Qui Filius cum Patre et Spiritu sancto est una substantia, et non una persona, sed tres sunt personae. Cum toto homine Adam, quem assumpsit, ipse solus est una persona, et non una substantia, sed tres sunt substantiae Verbum, anima et caro, totum unicus Filius.

LXXI. Vide mediatorem. Tantum ipse solus descendit, quia nec Pater descendit, nec Spiritus sanctus. Et quia, ut diximus, cum Patre una substantia est, sicut una substantia est et unus Deus est cum Patre et Spiritu sancto, et aliter Deus praeter eum non est, cum quo in una substantia est. Quia non est aliter Deus praeter Patrem, nec aliter Deus praeter Filium, nec aliter Deus praeter Spiritum sanctum.

* Locus mendosus.

A Nec alter Deus praeter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Attamen cum tres sint simul unus Deus et unum lumen, non tamen una persona est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Lumen est Pater, quia genuit lumen. Lumen est Filius, quia natus est de lumine. Lumen est Spiritus sanctus, quia processit de lumine ingenito et genito. Et tres simul unum est lumen.

LXXII. Aut forte calumniaris et dicis: Si unum lumen, ubi Trinitas? An forte in vocabulo sunt tantum et Filius et Spiritus sanctus, et non sunt expressae personae? Respondebo. Absit: nisi expressae personae, et propriae subsistentes sibi. Nam hoc Sabelliana perversitas adinvenit, ut cum unum credit in separabile lumen, unam crederet etiam personam, ut diceret: ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi esse Filium, ipsum sibi esse Spiritum sanctum.

LXXIII. Arius vero, e contrario, cum tres credit proprie sibi subsistentes personas, tria credit et lumina. Et quia unum est lumen, unus commiscebat personas, alter separabat. Sed utrique ab uno lumine caecati, ab uno lumine confusi, id est, in uno dum non commixti, ab uno lumine separati sunt.

LXXIV. Unum est, ut diximus, lumen, sed tamen in gignente, genito, et procedente Trinitas est. Denique aliud est gignisse, aliud genitum esse, aliud procedere. Et ideo qui genuit non est ipse in persona qui genitus est, quia altera persona est quae genuit, et altera persona est quae genita est. Alius genuit alium, sed non aliud genuit quam quod est. Ille est, lumen est, et lumen genuit, quod ipse est. Et cum ipsum sit quod genuit, non tamen ipse est quem genuit. Ipsum quidem lumen natura quem genuit, non tamen ipse est qui genuit genita lumen persona. Nec ipse est gignens et genitus tertia quae ab his procedit persona. Sed alter in persona gignens lumen, alter in persona genitum lumen, alter in persona procedens lumen. Et lumen, et lumen, et lumen, unum lumen. Et gignentem, et genitum, et procedentem tres personae et unum lumen. Ac si dicerem: Deum, et Deum, et Deum, unum Deum. Et quia Deus genuit Deum, et Deus processit de Deo, in gignente, genito et procedente, tres sunt subsistentes sibi personae, et natura unus Deus. Solus ergo Filius factus est homo, non in unitate naturae, sed in unitate personae, id est, lumen sine initio genitus de Patre assumpsit naturam nostram. Et secundo lumen et corpus natum est de Virgine. Et in Patre semper mansit inseparabile et aequale lumen, sicut angelus Mariae dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1, 35). Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen et corpus, virtus ei Altissimi obumbravit, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit. Ex qua videlicet obumbratione omnes credentes in Christo in se refrigerium mentis accipiunt. Umbra enim, ut jam diximus, a lumine formatur et corpore. Dominus autem per di-

vinitatem lumen est, qui mediante anima in ejus A utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero comparandum, eique corporeum concepit, ad corpus dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Id est, corpus humanitatis in te accipit incorporeum lumen divinitatis.

LXXV. Unde et in Canticis canticorum ex voce Sponsi dicitur: *Osculetur me osculo oris sui. Quoniam bona ubera tua sunt super vinum, et odor unguentorum super omnia aromata* (Cant. 1, 2). Audistis epithalamum carmen, dilectissimi fratres, quod Spiritus sanctus per Salomonem ex voce Sponsi et sponsæ, id est Christi et Ecclesiæ, pro cœlestium nuptiarum allegorica decantatione prædixit. Quando Christus sponsus et anima sponsa oppigneraverunt sibi B castam invicem conjugii voluntatem, et facti sunt duo in carne una. Id est, Deus et homo. Duo hi, id est Verbum et anima, una persona, Sponsus et sponsa in una carne. Et illius sponsi thalamus fuit uterus virginis. Quia in illo utero virginali conjuncta duo, Sponsus et sponsa. Quia scriptum est: *Et erunt duo in carne una*. Et Dominus dicit in Evangelio: *Igitur jam non sunt duo, sed una caro*. Quia Christus et Ecclesia non sunt duæ carnes et duo homines, sed una caro et unus homo. Et Isaias optime meminit unum esse sponsos duos. Loquitur enim ex persona Christi, et dicit: *Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento*. Una persona videtur loqui, et sponsum se fecit et sponsam. Quia non sunt duo, sed una caro, id est, una natura carnis, et una substantia Christi et nostra. Sicut una substantia est Christi et Patris. Quia et cum Patre perfectus Deus est, et nobiscum perfectus homo est. Et Deus et homo ex duabus naturis una persona est Christus. Quia Verbum caro factum est et habitavit in nobis, id est, in carne nostra habitavit. Quia in nobis habitat, quando in carne nostra habitat. Et ipsa caro nostra, in qua habitat, ipse est qui habitat. Fecit sibi domum in qua habitat, et ipsa domus ipse est.

LXXVI. Denique carpentarius quislibet facit sibi domum in qua habitat, sed ipsa domus non est ipse qui habitat. Et fortasse cum a persecutore ipsa domus dissipatur aut incenditur, habitator surgit ne simul pereat, et relinquit vacuam domum, quia ipsa domus quam habitabat non erat ipse. Non sic Deus homo factus habitavit in nobis, id est, in carne nostra. Non sic Verbum Patris, ut alter sit habitator et altera caro nostra quam habitat. Ut quia a Judæis carne occideretur, fugisset Verbum habitator. Absit hoc a fide catholica. Sed sic esse Verbum, anima et caro una persona Christus Filius Dei, sicut quislibet homo, anima et caro est una persona. Et cum ipse homo occiditur, non anima, sed caro occiditur, et nullus alter quam ipse homo moritur. Sic Christus Filius Dei Deus et homo tanta est unitate personæ, ut ipse sit Deus qui est homo. Et cum homo, id est sola caro, occiditur, nullus alter quam Filius Dei moritur. Non

divinitate nec anima, sed sola carne. In qua carne redemptio facta est humani generis. Unde et Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum omnis Ecclesia confitetur.

LXXVII. Hoc totum quare diximus? nisi ut Verbum carnem factum Filium Dei probaremus. *Verbum caro factum est* (Joan. 1, 14), sed non est in carnem conversum, sicut nec anima hominis convertitur in carnem. Et cum in carne Christi habitat Verbum, in nostra natura habitat, quia ipsa caro nostra est. Illi carni adjungitur Ecclesia, et fit Christus totus una persona caput et corpus. Et cum in sacris voluminibus aut homo, aut caro, aut corpus Christi nominatur, non solum Christus, sed tota Ecclesia intelligitur. Sed habet consuetudinem sancta Scriptura ut de Domino et ejus corpore, quæ de uno aut ad unum loquitur, atque in una persona modo caput, modo corpus ostenditur. Sicut Isaias, ut supra diximus, ait: *Induit me vestimento salutis, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis*. In una enim persona duplici vocabulo nominata; et caput, id est Sponsum, et Ecclesiam, id est sponsam, manifestavit.

LXXVIII. Proinde notandum in Scripturis, quando et caput et corpus, aut quando ex utroque transeat ad utrumque, aut ab altero ad alterum. Sicque quid capiti, quid corpori veniat, prudens lector intelligat. Sponsum autem Christum esse et sponsam Ecclesiam, probat Scriptura divina, dicente Joanne Baptista pro Christo in Evangelio: *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi stans et audiens vocem ejus, præ gaudio exultat*. Et alius propheta dicit: *Desponsabo te mihi in fide et charitate*. Denique hoc carni in Christo et Ecclesia esse prædictum, prætitulatio ipsa manifestat. Sic enim pronuntiantur Cantica canticorum, eo quod supra omnia cantica quæ aut Moyses aut Maria in Exodo, aut Isaias, aut Abacuc et cæteri cecinerunt. Hæc meliora sunt Cantica, quia illi aut pro liberatione prælii, aut pro conversatione populi, aut pro admiratione divinorum operum accensi animo ac mente laudes dixerunt Deo; hic tamen, quia Dei Ecclesiæ vox psallentis auditur, propter quod divina et humana sibi invicem copulantur, ideo Cantica canticorum, id est meliora meliorum, nuncupantur.

LXXIX. Cum ergo dicit, *Osculetur me osculo oris sui. Quoniam meliora sunt ubera tua super vinum*, non de hoc osculo carnali, sed de spiritali gratia loquebatur. Ecclesiæ etenim venerandæ immaculatæ virginis vox est ad Christum Filium Dei tricenarium juvenem, decorum, *speciosum forma præ filiis hominum*, verba facientis. Quia alia sunt humana, alia divina oracula [oscula]. Et ideo cum dicit Ecclesia: *Osculetur me osculo oris sui*, vult ipsa Ecclesia præsentem Sponsum habere et præsentis vocem audire. In præterito enim tempore, sermo Dei per prophetas ad Synagogam loqui consueverat, et quasi per alienum os pacis osculum dabat. Hæc ergo Ecclesia, quæ vere sponsa est Christi, contenta non est per prophete-

tas tantummodo Christi pacem accipere, sed magis A ore proprio evangelicæ traditionis præcepta suscipiens, a vero Sponso velut osculum sanctitatis accipit. Et ideo *osculetur me osculo oris sui*. Quod quam vere fuit adimpletum, hinc potest addisci. Nam ex eo quod Christus Filius Dei secundum hominem venire dignatus est, et carnem animamque velut sponsam accipere, lex et prophetæ cessaverunt, sicut Evangelista ait : *Lex et prophetæ usque ad Joannem Baptistam* (Matth. xi, 13). Et iterum : *Lex per Moysen data est*. Ecclesia enim, ut Apostolus definivit, caro Christi est, qui ait : *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Cui tunc osculum fide et charitate impressum est, quando duo in una carne conjuncti sunt, id est, veritas et pax complexæ sunt se.

LXXX. *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, id est, caro Christi, qui de virgine natus est, cujus origo æterna est. *Pax de cælo prosperit*, id est, Verbum Dei, qui dixit : *Ego sum pax*. Et iterum : *Pacem meam do vobis*. Hoc est osculum Verbum Patris prophetarum ore annuntiatum, quod a sæculis antiquis longa spe suspensa pependit. Quod quidem adveniente die sponsaliorum est adimpletum, per quod annulum fidei et pronubum nuptiarum cœlestium accepit Ecclesia. Quid enim charius Christo quam Ecclesia, pro qua suum sanguinem fudit ? Aut quid Ecclesiæ amabilis Christo, cujus sancta et immaculata conjunctione magnam filiorum multitudinem per baptismi regenerationem procreavit ? Cujus fetum copiosissimum sine dolore videmus profusum. Cujus efficaciam, et ut verius dixerim, artem nascendi vel potius renascendi senties magis quam narres, intelligas potius quam comprehendas. Nec virtutem ipsam videas, nec artem cognoscas, et tamen perfectum opus, quod magistra sapientiæ et opifex ratio elusum dederit, cum debita veneratione laudabis. *Quoniam bona ubera tua*, inquit, *super vinum*. Habuit quidem prisca lex duo ubera ex duabus tabulis lapideis, qui digito Dei impressa, candidum lac disciplinæ parvulo tunc populo præbuerunt : sed nunc ubera Domini jam non duo, sed quatuor cognovimus. Quatuor enim Evangeliorum fontes dulces lac sapientiæ credentibus tribuunt.

LXXXI. Denique Dominus ad Abraham, qui utriusque populi pater est, secundum carnem scilicet, et noster ex fide, cum ei hæreditatem sæculi futuri promitteret, hoc inter cætera signum sacrificii postulavit, capram trimam et vaccam trimam, ut capra, quæ duo ubera habet, Veteris Testamenti figuram ostenderet. Et vacca, quæ quatuor, evangelicæ disciplinæ. Hæc sunt bona ubera Domini, id est, Evangeliorum fontes aquæ : quæ meliora sunt super vinum propheticæ prædicationis, qua lex vinum vetus intelligitur. Evangelium vinum novum.

LXXXII. Duo enim genera vini in Scripturis cœlestibus legitimus. Unum quod apud Chanaam Galilææ defecit ad nuptias, aliud quod multo magis de verbo Dei aqua vinum est factum. Unde et Salvator dicebat : *Vinum novum in utres novos mittere oportet*.

Quod quidem significabat nuptias Christi et Ecclesiæ, id est, quando Verbum Dei animam hominis copulavit, cessaturum esset vinum, id est, prisca legis et prophetiæ, et aliud Evangelium ex baptismatis aqua futurum. Unde et credentes musto pleni sunt isto. Quid est enim de aqua vinum, nisi anima, quæ retro fuerat terrena, insipida et aquata, in merum spiritus conversa, præstantior sapore facta est ?

LXXXIII. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata* (Cant. iv, 10). Odor unguenti istius sacrosancti chrismatum gratiam manifestavit, quæ super omnia Synagogæ flagrat et redolet. Illa enim habebat unctionem de unguentis factam odoriferis. Christi autem unguentum ex septiformi sancti Spiritus suavitate descendit. Unde et subjungit : *Unguentum exinanitum nomen tuum* (Cant. 1, 3). Quare itaque *exinanitum*, breviter indicabo. Prisca legis reges et sacerdotes, qui ex cornu chrismatum ungebantur, christi dicebantur in lege, eo quod similitudine unctionis chrismatum notam ipsam perfectiorem acciperent, et proinde umbra potius quam veritate christi nomine utebantur. Sed ubi *plenitudo divinitatis*, secundum Apostolum, in Christo completa est, tunc exinanitum est nomen eorum regum qui christi dicebantur, ne ulterius hoc censerentur vocabulo. Et verum permanet nomen Christi, quod ex vero unguento, id est sancti Spiritus plenitudine, est effusum. Verum quod alibi ait : *Unguentum effusum nomen tuum*, eo quod suavissima veri Christi nominis gratia super omnes credentes diffusa est, et omnem odorem notitiæ suæ fidelibus cunctis effuderit, *unguentum effusum appellatum*. Unde et orationes sanctorum in Apocalypsi thymiamæ sunt comparatæ. Unde et sequitur : *introduxit me rex in cubiculum suum*. Hoc Ecclesia loquitur, quæ regem Christum Dei Filium confitetur. Quid est cubiculum, ubi Christus rex Ecclesiam reginam introduxit, nisi in cœlestis regni secretum ? Quis etenim nesciat, illuc Christum Ecclesiam suam, id est carnem suam, introduxit, unde sine carne descenderat, id est de abdita cœlorum ? Carnem autem Christi Ecclesiam esse, Paulo apostolo auctore didicimus, qui dicit : *Caro Christi, quod est Ecclesia*. Et cum per gratiarum dona multa membra sunt, corpus tamen unum est. *Nam et corpus non est unum membrum*, ut ait Apostolus, *sed multa*. Si dixerit pes, *quoniam non sum manus, non sum de corpore ; nam ideo non est de corpore ? Et si dixerit auris, quoniam non sum de corpore, quia non sum oculus ; nam ideo non est de corpore ? Si totum corpus oculus, ubi auditus ? Si totum auditus, ubi odoratus ? Quod si est omnia unum membrum, ubi corpus ? Nunc autem quidem multa membra, unum vero corpus*. Quid ergo sancta Ecclesia, nisi superni sui capituli corpus est ? In qua alius alta videt, oculus ; alius recta operando, manus ; alius ad injuncta recurrendo, pes ; alius præceptorum vocem intelligendo, auris ; alius malorum fetorem bonorumque fragrantiam discernendo, nasus est. Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis or-

nibus corpus reddant. Et cum diversa in charitate A peragunt, divisum esse prohibent ubi continentur. Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique, quod ex multis continetur, non esset. Quia, videlicet, multipliciter compactum non existeret si hanc concordiam membrorum diversitas non teneret. Quia ergo sanctis membris Ecclesiae virtutum dona Dominus dividit, tanquam terrae mensuras ponit. Et cum unus alteri gratiam a Domino datam invidit, et eam nomini suo ascribere velit, alterius limitem transcendit. Limes enim a discernendo limitem nomen accepit. Qui gratiae suae mensurae limitem transcendit, cadere vult, quia in praecipitio pedem ponit.

LXXXIV. Unumquemque ergo reprimat metus diabolicæ ruinæ, qui dum super voluit esse quam quod erat, et ipsum quod erat perdidit, et de alto B praecipitatus profundi inferna promeruit.

LXXXV. Unusquisque ergo tanquam membrum corporis mensuram suam excedere non debet. Unde iterum idem Paulus dicit : *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Item ipse dicit : *Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subadministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

LXXXVI. Sed cum miro consilio auctor ac dispositor noster uni illa largitur quæ alii denegat, quæ isti largitur, unicuique mensuras ponit : mensuras positas egredi nititur, quisquis plus quam acceperit major esse conatur; ut fortasse ille cui tantummodo datum est præceptorum occulta disserendo C aperire, tentet etiam miraculis coruscare. Aut ille quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam divinæ legis aperire occulta contendat. In praecipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque perdit ea quæ acceperat, quia audaciter præsumit ad ea quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc bene ministeriis utimur, cum sua eis officia distincte servamus. Lucem quippe oculis videmus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem, mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic utraque in casum patent. Si quis autem odores velit ore discernere, sapes nare gustare, utriusque sensus sibi ministerium, quia pervertit, interimit. Dum enim prius hæc usibus non aptantur, et sua officia deserunt, et ad extranea non assurgunt. Alii namque datur sermo sapientiæ. Alii sermo scientiæ in eodem Spiritu. Alii fides. Alii gratia sanitarum. Alii operatio virtutum. Alii prophetia. Alii discretio spiritus. Alii genera linguarum. Alii interpretatio sermonum tribuitur. Qualiter in uno eodemque spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ, fulgeat. Quia sentire atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat. Quia sufficit explere quantum dicit, et tamen ad

A sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatis gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exercit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua, quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit, et tamen bonis reliquis quæ non habet patienter B caret.

LXXXVII. Sic itaque creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum impensa gratia unumquemque sublevari, etiam per disparem gratiam alteri alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur, attendat. Ac licet reperire [se præire] ex aliis sentiat, eidem tamen quem superat se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur. Et dum singula quæ quærunt [erant] omnium, interposita quadam charitatis necessitudine, fiant omnia singulorum. Et unusquisque sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. Sic sunt diversa gratiæ, sicut et diversa, ut diximus, corporum membra. Et quæ putamus ignobiliora esse membrorum corporis, his honorem abundantiora circumdamus. Et quæ inhonestæ sunt nostra abundantiora honestatem habent. Honestæ autem nostra honestate nullius egent. Sicut iniqui dum increpatione feriri non possunt, quasi honoris tegmine velantur. Sed hæc de occultis potentum peccatis loquimur. Nam quando et aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt : ne, si prædicator tacet, culpam approbasse videatur; atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat.

LXXXVIII. Sancta ergo Ecclesia per prædicatores suos, qui dum facta mala sub dispectione increpationis increpant, labia quasi parcens movet. Sed tamen parcendo non parcit, quia ab increpatione culpæ generaliter non tacet quæ specialiter tacet.

LXXXIX. Sancta ergo Ecclesia, quod corpus est summi capituli Christi, in quantum se sublevari ad superna, in tantum amplius laborat ut membra capiti conquirit quæ corpus ejus fiant, secundum Apostolum qui dicit : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Aliud est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis est pars ad totum membrum. Membrum vero membri est particula ad partem. Membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium. Membrum vero est corporis, tam hoc simul, ad corpus

diversum. Sicut enim in spirituali Dominico corpore A membra de membro dicimus eos qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur, ita in illa hæreticorum reproba congregatione, quæ totum corpus est diaboli, membra sunt carnum, qui iniquo opere quibusdam nequioribus conjunguntur.

XC. Duæ itaque partes sunt : una quæ est corpus Christi, et altera quæ est corpus diaboli, quæ Antichristus dicitur. Quia dum bipertitus est, vetus et novus, secundum Apostolum qui ait : *Primus Adam de terra terrenus : secundus de cælo cælestis* : modo vero in Ecclesia duo Adam sunt, terrenus et cælestis. Et qualis terrenus, tales et terreni. Et qualis cælestis, tales et cælestes. Et ipse idem Apostolus dicit : *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*, quæ utraque unum est. B Quia ubicunque in Scripturis sacris in Veteri Testamento legitur homo, in Hebræo Adam dicitur. Nam cum nos dicimus in Latino illud quod in psalmo octuagesimo primo scriptum est : *Vos autem sicut homines moriemini*, in Hebræo habet : *Vos sicut Adam moriemini*. Et in octavo psalmo : *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Homo Adam accipiendus est, filius hominis Dominus noster Jesus Christus intelligendus est, qui illius veteris Adami, qui per inobedientiam ceciderat, tunc memor visitavit quando intra uterum Virginis *Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis*. Et cum Dominus dicebat : *Filius hominis tradetur in manus peccatorum*, ac si C diceret : Filius Adam tradetur in manus peccatorum. Modo cum in Scripturis legitur homo, tantum deum valet ac si dicat, *Adam, prior homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*. Quarum utraque et cum Adam Dominus exprimitur, et cum homo dicitur, de carne non exit.

XCI. Sed forte aliquis specialitatem quærit ut dicit, qualiter dicitur Adam secundus, si Adam homo intelligitur, quia ante ipsum et post ipsum multi homines fuerunt?

XCII. Respondebo. Ante ipsum multi homines fuerunt, sed omnes veteres dicuntur, unus Adam intelligitur vetus. Et quanquam patriarchæ et prophetæ Spiritu sancto repleti Christum expectabant, et si non habebant culpam suam, tamen pro ipso homine vetere in inferno tenebantur. Quia nullus eorum per se poterat egredi, nisi de cælo secundus Adam novus pro illis descenderet. Quia tam homines illi quos a potestate diaboli liberavit, quos secum ad cælos, unde sine homine descenderat, per novum hominem reduxit, quam etiam et illi qui post ascensionem ejus ei junguntur per fidem, cum omnibus his novus Adam dicitur, et unus homo dicitur. Hoc non est carnaliter intelligendum. Cum rationem quæris, ratio hic non carnalis, sed operationis est intuenda, quam Apostolus non humanis sensibus explicavit. Dum et Adamum veterem et Dominum nostrum Jesum Christum ad primitias rerum malarum bonarumque revocat ac re-

ducit, duas formas vitales collocans in duobus, ut primus Adam habeatur quisquis per vestigia ejus erroris incesserit, secundus Adam ille sit qui Dominum fuerit imitatus. Hi sunt duo Adam, novus et vetus, sicut Apostolus ait : *In Christo enim Jesus neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*. Non enim magni est meriti quid foris agatur in corpore hominis, sed pensandum est quid agatur in mente. In mente efficitur nova creatura, per quod foris deprehenditur in corpore qualiter facta est nova in mente. Ad novum hominem pertinet præsentem mundum despiciere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo et proximo sternere, contra illas contumelias patientiam servare, et custodia patientia dolorem malitiæ a corde expellere, egenis propria tribuere, aliena non concupiscere, amicum in Deo diligere propter Deum, et eos qui inimici sunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus qui inimicus est non exsultare. Hic est secundus Adam. Iste est novus homo quem Christus reduxit ad cælos, sicut ipse discipulis suis ait : *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*. Cui sententiæ statim concordat quod ipsa Veritas dicit : *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*. Quia sibi ipse Dominus in verbis suis non discrepat, sed ad inquirenda hæc quasi discordantia studium mentis nostræ inflamat. Omnes enim nos qui in ejus fide nati sumus, ejus sine dubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est nobiscum. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*. Quia dum nos unum cum illo jam futuri sumus, unde solus venit in se, illic solus redit etiam in nobis, et ille qui in cælo semper est, ad cælum quotidie ascendit. Quia qui divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage sese quotidie ad cælos trahit. Non ergo se desperet humana fragilitas. Unigeniti sanguini confidat. In pretium suum conspiciat quam magnum est quod tantum valet. Perpendat sollicitè ubi caput præcessit. Et quæ ad vivendum præceptis astringitur, ad sperandum exemplis roboretur. Confidat, cælos D speret, supernam patriam, angelorum se socium sciat, atque in suo capite prælatum se etiam angelis gaudeat. Amen.

XCIII. Ad veterem quippe Adam pertinet præsentem mundum quærare, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, ad multiplicanda lucra terrena, aliena quærare, nullum præter se diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere, de morte inimici exsultare. Cuncta hæc vetusta sunt, hominisque videlicet de radice trahit corruptionem. Interest vetus Adam, qui in Scripturis sacris terrenus dicitur. Iste semper adversatur Ecclesiæ Christi. Iste semper

generat ad mortem. Hæc pars quæ generat ad mortem, nox dicitur. Fiunt et hic baptisma et omnia ecclesiastica sacramenta; sed quia et hæretici fidem, et subditi eorum, quos regunt, opere a se dividunt Christum, et unum videntur nobiscum commune habere altare. Et inde nomen paternitatis assumunt, per quam 'et sacramenta Ecclesiæ usurpare præsumunt. Generant quidem filios, sed quia Adam vetus est, non ad vitam generant, sed ad mortem: patres ab imperitis vocantur, sed pro eo quod recta non loquuntur, canes muti a propheta nuncupantur, qui ait: *Canes muti, non valentes latrare.*

XCIV. Patres vero hæreticorum dicimus eos, videlicet, quos hæresiarchas vocamus. De quorum perversa prædicatione, id est locutionis semine, sequentes sunt populi in errore generati. Sancta vero Ecclesia cum canibus gregis, qui sunt hæreticorum patres, ponere dedignatur, quia inventores errorum judicando respuit, eosque inter veros Patres numerare contemnit. Pro eo tamen quod de Domino nostro Jesu Christo non recta sentiunt, eos cum canibus gregis sui non ponet, quia eos cum rectis prædicatoribus non ascribit. Liquido enim patet quod Arius, Photinus, Bonosus, Macedonius, Nestorius, Euty chius, Dioscorus, Severus, et hic nostris modo temporibus Elipandus, multique horum similes, docendo atque suadendo conati sunt Ecclesiam illudere et patres videri. Sancta universalis Ecclesia districta veritate dijudicans, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos ejusdem gregis unitatem dissipantes damnat. De quibus voce Pauli Ephesiis dicitur: *Scio quia post discessum meum ingredientur ad vos lupi graves non parcetes gregi.*

XCIV. Et quia aliquando hæretici quanto magis in perfidiæ errore blandiuntur, tanto magis sanctitatem simulant; et quasi tanta amplius in exterioris esse operatione, ita ut agere præ cæteris magna videntur. Sancta universalis Ecclesia cuncta eorum opera despicit, quia ea ex auctoritate rectæ fidei non prodire cognoscit. Per hos Antichristus sibi filios generat, quos in adventu suo fœdissimo testes in Ecclesia habeat.

XCVI. Hi testiculi Antichristi sunt, de quorum semine perversa proles gignitur, quæ in Antichristi ore copulatur. Unde et per Job ex voce Antichristi dicitur: *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt (Job. xl, 12).* Tantos iste Antichristus testes habet, quantos iniquitatis suæ prædicatores possidet. An ejus testes non sunt, qui pravis persuasionibus corda hominum virulenta erroris semina fundendo corrumpunt? Aptè autem dicitur quod *testiculorum ejus nervi perplexi sunt*, quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut recta esse simulent quæ perversa persuadent; ut alligationum implicatio, quasi nervorum plexibus, ut si videri possit, solvi non possit. De suo ejus testiculi perplexos habent, quia acumine prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque autem,

A cum verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt. Neque enim ad se bonos persuasione sua traherent, si se et in actionibus perversos exhiberent.

XCVII. Sed quia testes hujus perplexi nervis illigantur, et rectos se ostentant ut lateant, et perversa corripiant ut corrumpant, ipsum sine dubio suum caput imitantes, qui quasi leo sedet in insidiis, et sævit per potentiam terreni culminis, et blanditur per speciem sanctitatis. Sed Antichristus utinam tunc solum talia ageret suo tempore, et nunc quoque ad corrumpendam fidem et fidelium viscera hos hæreticos luxuriæ testiculos non haberet!

XCVIII. Neque enim malum sola lectione oris infunditur, sed pejus et a pluribus operis exempla propinatur. Quam multi enim Antichristum non vident, sed tamen testiculi ejus sunt, quia corda innocentium actionis suæ exemplo corrumpunt? Quisquis namque in superbiam extollitur, quisquis avaritiæ desiderio cruciatur, quisquis luxuriæ voluptatibus solvitur, quisquis injustæ et immoderate iræ flagris innititur, quid aliud nisi Antichristi testis est? qui dum se libenter ejus usibus implicat, exemplo suo aliis erroris fetus ministrat. Ille prava agit, ille prava agentibus adest et adhæret. Et non solum non increpat, sed etiam favet. Quid ergo aliud quam Antichristi servus est, qui perdidit auctoritatem promissæ Deo fidei testimoniis erroris? Quos tamen si quis increpet, mox se sub quodam velamine defensionis occultant. Quia videlicet eorum nervi perplexi sunt, et male implicati, qui corruptione solvi nequaquam possint. Et apparet quiddam in eis quod doleat, sed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent; et potestate quidem admirandi videri appetunt, sed fallent arte, præmissa colloquia similiter substernuntur, et per sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negant. Unde et recte idem sanctissimus dicit: *Ossa ejus, velut fistulæ æris (Ibid. vers. 13).* Ossa ejus æris fistulæ comparantur, quia nimirum more æramenti insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum intelligendi non habent. Hoc namque quasi humiliter asserunt quod elate vivendo contemnant. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut ærumentum sonans aut cymbalum tinniens.* Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens. Velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba quæ ipse dicit.

XCIX. An non Elipandus more cymbali a Taletio sonitum mittit et insensatus est, quia ipse non sentit verba nova quæ dicit? Ut enim fides firma daretur Ecclesiæ, duodecim apostoli sunt a Christo electi: quorum Petrus, cum esset eorum primus, solus non est ausus componere Symbolum, sed duodenario numero apostolorum cum magna est cautela collectum et credentibus assignatum. Ideoque qui in tali confessione permanserit, a superveniente ira timere non poterit. Duodecim fuerunt Christi discipuli prædicatores fidei et doctores gentium. Qui cum

omnes unum essent, unum etiam composuerunt **A** quidem forma videtur, sed verbis suis ultra homines commuiter Symbolum; qui singuli singula verba dixerunt unius fidei invicem concordantia sibi, quæ tantum duodecim sunt verba. Elipandus solum in sua fide undecim posuit, quia et denarii unum numerum excessit, et ad duplicatum ut tredecim esset non pervenit. Quæ verba æqualiter divisa, undecim et undecim fiunt, ut aperte daretur intelligi ipse primus Spaniæ præfigurans se Antichristum. Extulit solus totam gratiam habere apostolorum, qui solus sine collatione fratrum composuit novæ fidei documentum.

C. Nimis iste apparet elatione superbus, qui semetipsum cum Christo prædicavit christum. Sic enim de illo quem præfiguravit per Paulum dicitur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Et rursus per eundem dicitur: *Qui versatur, et extollitur, et colitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur.* Etenim sancti pii dicuntur, sed non coluntur. Solus Christus dicitur Deus et colitur: super quem Antichristus se elevavit, cujus mysterium nunc videmus. Quia omnes qui contra Ecclesiam sunt, in Antichristi corpore sunt, cujus supra una bestia mentionem fecimus. De qua Daniel cum quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adjunxit, dicens: *Considerabam cornua: Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum. Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Et oculi quasi oculi hominis erant in circuitu, et os loquens ingentia (Dan. vii, 8, 9).* Undecimum quippe hujus bestiæ cornu esse describitur, quia regni ejus potentia in iniquitate roboratur. Sive quia inter decem reges Romanorum ipse erit undecimus. Omne enim peccatum undenarium est dictum, quia dum diversa agit, præcepti decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo velut cilicina undecim fiunt. Hinc per undecimum psalmum dicitur: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia dolosa: in corde et corde locuti sunt mala. Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam.* Magniloqua lingua est, cum se super omnes extollit, et sibi magnus videtur. Hinc Petrus, ne in undenario numero remaneret, apostolos metuens, Mathiam duodecimum sorte missa requisivit. Hic nisi enim signari culpam per undenarium videret, implere apostolorum numerum tota festinatione duodenarium non curaret. Quia ergo per undenarium numerum transgressio exprimitur, hujus bestiæ cornu undecimum ipse auctor transgressionis indicatur. Quod videlicet parvulus nascitur, quia purus homo generatur. Sed immaniter grandis crescit, quia usque ad conjunctam sibi virtutem angelis fortitudinis profecit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt evellit, quia ditionis suæ regna totidem, quæ sibi vicina erant, subjecit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis: sed os ingentia loquitur, quia in illo humana

quidem forma videtur, sed verbis suis ultra homines elevatur.

Cl. Ecce nunc jam aperte vidi purum hominem Elipandum, et tanta elatione superbum, super omnem se Ecclesiam elevare, ut omnes tanquam bruta animalia putet esse. Verba etiam fidei suæ quæ in suis inseruit epistolis, in tantum sunt fidei apostolicæ contraria, quantum et inter se discordantia.

CII. Quæ verba dupliciter undecim fiunt, ut dupliciter se in tantum elevaret, ut in tota Ecclesia solum super eum descendisse Spiritus sanctus [videretur], sicut finxit Montanus, et duæ prophetiæ ipsius, Prisca et Maximilla, qui adventum Spiritus sancti promissum a Domino in se potius quam in apostolis fuisse credunt. Ut illi Ecclesiæ, quæ adhuc in lacte est, cum talis surgit in prædicatione qualis Elipandus surrexit. Moriuntur infantes, qui adhuc per tempus poterant ad solidum pervenire cibum. Sed tunc moriuntur, quando decipiuntur. De hoc Dominus præcius futurorum, discipulos in Evangelio admonet, dicens: *Væ prægnantibus et nutriendibus in illis diebus. Et orate ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato.* Quod ex superioribus manifestum est pendere. *Cum enim Evangelium Christi cunctis gentibus fuerit prædicatum, et venerit consummatio, viderent abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto; tunc præcipitur his qui in Judæa sunt, ut fugiant ad montes. Et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua. Statimque conjungitur: Væ prægnantibus et nutriendibus in illis diebus.* In quibus diebus? Quando abominatio desolationis steterit in loco sancto. Et quid erit abominatio desolationis, nisi ut integer Christus Jesus, quod non sit Filius Dei et verus Deus, ille qui de Virgine natus est, quem Judæi crucifixerunt. Abominatio erit desolationis, quando aperte pro Christo suscipitur Antichristus et adoratur, et Christus Deus esse negatur. Jam longe Antichristus non est, quia jam Christus Deus esse negatur. Quod quidem, juxta litteram, de adventu Antichristi nulli dubium est, quam persecutionis magnitudo compellit fugere; et grave est ferre parvulos, qui lactantes fugam retardant. Licet quidam Titi et Vespasiani adversus Judæos et præcipue Jerusalem obsidionem pugnamque significari velint; hiemem quoque et sabbatum sic interpretantur, ne eo tempore fugere compellantur, quando duritia frigoris in agris et in desertis locis fugientes latere non patitur, et observatio sabbati, aut prævaricatores facit, si fugiunt, aut hostium gladiis subjacere, si sabbati otium et præcepta observaverint. Sed non est tempore Vespasiani completum et Titi sed nunc in adventu Antichristi. Nos autem audientes Dominum Salvatorem, ut qui in Judæa sunt ad montana confugiant; id est, qui confessores sunt ad fidem et doctrinam apostolicam confugiant. Ipsi quoque oculos levamus ad montes de quibus scriptum est: *Levari oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Et in alio loco: *Fundamenta ejus in montibus sanctis. Et, montes in circuitu ejus, et*

Dominus in circuitu populi sui. Et, Non potest civitas A latere super montem posita. Et discalceati nos pedem litteræ, nudis pedibus cum Moysæ ascendentes montem Siva, dicamus: Transiens videbo visionem hanc magnam; ut possumus intelligere prægnantes animas, quæ de semine doctrinarum et sermonibus Dei initia fidei conceperunt, et dicunt cum Isaia: A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus, spiritum salutis tuæ faciemus super terram.

CIII. Sicut enim semina paulatim formantur in uteris, et tandiu non reputantur homicidium donec elementa confusa suas imagines membraque suscipiant, ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur, et cibo abortio perit, cum videt abominationem desolationis stantem in Ecclesia, et Satanam transfigurari in angelum lucis, id est hæreticum. Et de istiusmodi Paulus stertibus loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus reformetur in vobis. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundar a vobis.* Ecce Paulus mutare vult vocem in partu suo, ut prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris. Mutare vult vocem, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: *O insensati Galatæ! qui vos fascina-vit? Et sic stulti estis, ut cum spiritu conceperitis, nunc carne consumamini?* vel certe *currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Qualis in hujus partu rugitus fuit, qui multo tempore conceptos filios cum tantis laboribus peperit, et quandoque partos ad malitiæ uterum rediisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit? Quid laboris? Qui postquam potuit concepta ex utero edere, iterum compulsus est extincta suscitare. Nisi enim prædicatores sancti ab illa immensitate contemplationis internæ spiritualis conciperent, et ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam incurvatione descenderent, nunquam utique in fide fi-

lios procrearent. Nobis quippe prodesse non poterit, si in suæ altitudinis erectione persisterent. Moritur semina in partu, qui necdum formati fuerant in fide, dum hæretici cœperint hæreses prædicare. Ipsi hæretici discipulos Pauli occiderant, quia Christum in pectore illorum occiderant. Quos revocat ad unam fidem, dicens: *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Christus formetur in vobis.* Has ergo animas arbitror, juxta mysticos intellectus, esse mulieres. De quibus ipse Apostolus scripsit: *Mulier seducta in transgressionem fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et charitate, et sanctitate cum pudicitia.* Quæ si de sermone divino aliquando generarint, necesse est, quæ generata sunt, crescere, et primum accipere lac infantia, donec perveniat ad solidum cibum et ad maturam ætatem plenitudinis Christi. Omnis enim qui lacte alitur, imperitus est, et mente parvulus, in ratione justitiæ infantulus est. Hæc igitur animæ quæ adhuc non pepererunt, sive quæ nondum potuerunt ea quæ generata sunt pascere, cum audierint sermonem hæreticum stantem in Ecclesia, cito scandalizantur et percunt, et in tempestate atque in persecutionibus permanere non possunt, præsertim si otium habuerint bonorum operum, et non ambulaverint in via quæ Christus est.

CIV. De hac abominatione hæretica perversaque doctrina dicebat Apostolus quod homo iniquitatis et adversarius elevet se contra omne quod dicitur Deus et religio, ita ut præsumat stare in templo Dei et ostendere quod ipse sit Deus. Cujus adventum secundum operationem Satanæ, et ea quæ concepta sunt facit perire abortione, et ea quæ nata sunt, ad pueritiam et ad perfectam ætatem pervenire non posse. Quamobrem orandus est Dominus, ne in exordio fidei et crescentis ætatis oriatur hiems frigidioris, id est, hæreticorum prædicationis novella. De qua hieme scriptum est ex voce sponsi: *Jam hiems transit, imber abiit et recessit.*

Cætera desiderantur in autographo.

ANNO DOMINI DCCLXXXVIII.

RACHIO

ARGENTINENSIS EPISCOPUS.

INSCRIPTIO CODICIS

CONTINENTIS CANONES CONCILIORUM ET DECRETA PONTIFICUM, QUEM CODICEM SCRIBI JUSSIT RACHIO EPISCOPUS ARGENTINENSIS ANNO 788.

[Ex Grandidier, Hist. de l'église de Strasbourg.]

In nomine sanctæ et unique Trinitatis, in anno 788, quo Dominus noster Jhesus Christus pro salute mun-

di nasci dignatus est; et in anno 19 regnante domno nostro gloriosissimo, adque excellentissimo Karolo

• Hæc inscriptio multum redolet ignorantiam et barbariem sæculi octavi, ut videre est per ipsos solæismos quibus scætet. Consulatur Cangius, in præfa-

tionem ad Glossarium latinum de causis corruptæ latinitatis, qua videre est usquequo Latina lingua a prima puritate degeneravit sub regibus primæ et se-